Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Secundo die Sabbati Qudragesimæ. Homilia Vndecima. De Transfiguratione Domini. Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius & duxit montem excelsum, &c. Matth. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

Visual Library

millia. Quocirca non dicit: *Leuitæ interfecerunt tria millia, ſed, ceciderunt illa die tria millia.* Minor enim fuit Moyſi & Leuitarum vindicta multoque blandior. Et quando ſuauem imponit Confeſſarius pœnitentiam, ſuperaddit Deus & alias ſæuiores: non enim conuenit, vt non ſatisfacias pro peccati grauitate. Credo autem quod voluerit dicere. Ego illis modo delictum illud ignoſco, ſi vero relabantur, dum eos puniero, pro omnibus iunctim luent grauiſſimas pœnas: iniquitatum enim eorum recordabor. Quid *Domine*, an illis hoc non remiſſum peccatum? remiſſum eſt: at in idem relapſus, exigit ſeueriorem Dei vindictam, ex præterito enim dimiſſo augetur delicti præſentis enormitas. Quid putas de hoc ſentiat Deus, niſi quod illum prudens aſperneris, & floccipendas? Et quid illi faciendum, niſi te vt diſperdat, vel morte ſubitanea, vel apoplexia, ruina domus, tegula deſuper decidente, & exitu miſerando hinc rapiaris æternum periturus?

*Lib. de exhort. ad Martyres, cap. 7*

Proponitur vobis Hiſtoria Pharaonis, quam elucidat Liran. & ante illum D. Cyprian. Voluit hoc Deus, vt populum ſuum ſolueret ſeruitute, ac liberum dimitteret: Multo hoc conſtitit, tandem liberum abire conſenſit, Deo tam obediens, ac ſubditus, vt ipſe populum rogaret inſtanterque ſuaderet diſceſſum: *Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum.* Egrediuntur, & ſtatuit Deus refractarium punire Pharaonem. Præcepit Moyſi. *In conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare.* Ita vt populus inter duorum montium concaua graderetur. Innotuit hoc Pharaoni. O quam ſibi proficuos fuiſſe cenſet Pharao Iſraelitas, cum de eorum receſſu ita condoluerit. Proponit illos bello laceſſere, & ad priſtinam reuocare ſeruitutem. Permittit Deus, vt nauim conſcendat, totuſque exercitus, præſidiariis, piraticis, militaribus imponatur, quibus impugnet Iſraelitas, & inter maris vndas comprehendat excedentes. Credidit, quod incolumis euaderet ſi Deus vt prius illum puniret: O quantos decipit illa Samſonis: *Egrediar ſicut ante feci.* Nec aduertunt inſipientes, quod illis modo Deus non ſit auxiliaturus, ſicut prius ſed derelicturus ad tantæ rebellionis pœnā, perpetuum damnaturus. O Chriſtiane, qui hoc ſacro quadrageſimæ tempore tuorum egiſti pœnitentiam peccatorum, hoc memoria retine, quod tibi cœleſtis medicus in ſalutis tuæ præſcribit conſeruationem: *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Hoc enim tibi certo ſtabit ſalus, vitam duces incolumem, animæ tuæ merita cumulabis gratiarum in hoc ſæculo, & cœleſtium in futuro diuitiarum. Amen.

*Pſ. 104. 38.*
*Exod. 14. 2.*
*Iudi 16. 20.*

# SVMMARVM

## HOMILIÆ VNDECIMÆ SEQVENTIS.

TOtum hoc contrahitur Euangelium ad id, quod Chriſtus oculis noſtris gloriæ, quam expectamus, quandam obiiciat imaginem. Hac de cauſa quinque proponuntur articuli. Primus: expedire, vt prædicatores ſæpius de illa inſtituant concionem, hodie, & cras, & aliis diebus, nobis enim vtilis eſt eiuſdem conſideratio. *a* Cum ſimus eiuſdem gloriæ candidati. *b* Secundus: vt hoc ſpectaculo perfruamur, neceſſario nobis in montem ſeorſum ſecedendum. *c* Tertius: qua ratione Chriſtus in oratione fuerit transfiguratus, indicia gloriæ demonſtrans: *d* Quartus: quo medio huius gloriæ radium intelligamus, ex eo, quo illam Iſaias explicauit. *e* Quintus: quomodo, eo quod illam non conſideres, eandem non deſideres. *f*

a §. 1. 2. 3.
b §. 4.
c §. 5.
d §. 6. 7. 8. 9. 10.
e §. 11. 12. 13. 14. 15.
16. 17.
f §. 18. 19. 20.

§. 1. *Vtilis eſt cœleſtis gloriæ prædicatio, ſicut Apoſtolis retis miſſio, ad dexteram, Abiſag Dauidi, & regni ſomnia Ioſeph.*

§. 2. Aſſumpſit Ieſus &c. *Oſtendit Apoſtolis gloriam ſuam, ſicut Ezechieli templum, vt populum excitet ad pœnitentiam.*

§. 3. *Valde proficuam ordinauit Deus; Dauidi cæleſtis gloriæ contemplationem, & hanc nobis deſiderat D. Paulus Apoſtolus.*

§. 4. *In baptiſmo cælorum efficimur candidati: quod Abbas Moyſes docuit poni noſtrarum fundamentum actionum.*

§. 5. In montem excelſum &c. *Vt bonis cæleſtibus perfruaris, ſecede, & ſimilis eſto piſcibus, qui pennulas habent, quos Deus vt mundos habet.*

§. 6. Transfiguratus eſt &c. *In oratione, Chriſtus transfiguratur, hæc tibi figuram præſtabit meliorem.*

§. 7. *Chriſtus ſe transfigurat, ſuarum demonſtrans radium diuitiarum, ſed ſub humanitate abſconditarum.*

§. 8. Reſplenduit &c. *Conceſſit Chriſtus in carnem ſuam deſluere Diuinitatis ſuæ ſplendorem, quaſi qui cortinas arcæ contraheret.*

§. 9. Transfiguratus eſt. *Transfigurauit ſe Chriſtus tranſiens de figura matris ad figuram Patris.*

§. 10. *Conceſſit, vt animæ gloria deſlueret in corpus, ſicut aqua Iordanis.*

§. 11. *Gloriæ nobis breuiter ſpeciem oſtendit, qua in cælo perfruemur, conuiuium de quo Iſaias.*

§. 12. *Cæli gaudia breuiter Propheta declarauit illa tamen non nominans.*

§. 13. *Magnitudinem cæli Empyrei nos docet* »
*hæc ſiderum cælorumque magnitudo, vt* »
*quaſi fidem excedat, quod de ea dicunt* »
*Aſtrologi.* »

§. 14. *Gloriæ cæleſtis bona ſatiant appetitum quem terrana magis accendunt.*

§. 15. *Ibi erit gaudium impermixtum, quale hic nullum reperitur, ſed pœnis permixtum.*

§. 16 *Tantum eſt cæli gaudium vt melius dicatur, quod homo intret in illud, quam ipſum in hominem.*

§. 17. *Deſſ luetur vinculum, de quo Propheta, grauitatis carnis, quæ quatuor dotibus præfulgebit, quas numerat Apoſtolus.*

§. 18. *Habebit corpus dotem claritatis, quam Apoſtolus dicit gloriam, & alias tres dotes, impaſſibilitatis, ſubtilitatis, & agilitatis.*

§. 19. *Præcipitabitur mors in infernum, occidendo nec occidens.*

§. 12. Bonum eſt. *Quia illam gloriam non meditaris, illam non deſideras, illam recogita, vt Iacob patriam ſuam.*

# HOMILIA XI.
# DE TRANSFIGVRATIONE DOMINI.
## SABBATO SECVNDO QVADRAGESMÆ.

*Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius & duxit illos in montem excelſum, &c.* Matthæi 17.

1 Apoc.c.22 SE plurimũ agnouit obſtrictum D. Ioannes Apoſtolus Angelo illi, qui eum in Pathmos inſula extorrem in ſpiritu rapuit, tulitque in montem altiſſimum, vbi formoſiſſimam ei demonſtrauit ciuitatem, cuius fundamentales lapides murorum, gemmæ erant pretioſiſſimæ, portæ ex inæſtimabilis valoris margaritis, plateæ auro primo ſtratæ, quæq; erat ipſo phœbo ſplendidior, eam etenim agnus illuminabat, cuius tãtus erat fulgor vt ſolem ipſum obſcurare videretur. Fõs aquarum viuentium ebulliebat, circumquaque plantatæ erant arbores, cuius etiam folia ſalutem gentibus conferebant: quicquid in ea videbatur, aurum erat fulgidũ, pretioſum erat, opulentum erat, gaudio reſultabat, dulcis reſonabat harmonia, cantorum audiebatur melos, lætitia & exultatio, nihil erat quod ſummam non referret pulchritudinem, quod cœleſtem non ſpiraret Apoc.21.2 ornatum. Obſtupuit tantæ gloriæ magnitudine raptus D Ioannes, cui Angelus: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis:* Ecce, quid hominibus præparetur, vbi cum Deo lætantur iuſti, & Deus cum eis. Ineffabili tantoque ſe gaudio delibutum ſenſit D. Ioannes, vt neſcius, quo tantam ſibi factam rependeret gratiam, ſeſe ad Angeli pedes proſtrauerit, qui cor eius incredibili hac conſolatione demulſerat: Apoc.22.8 illos mihi pedes exporrige, cœleſtis Angele, eius enim qui mihi præclara hæc dignatus eſt demonſtrare, eorumq; iurare fruitionem, dignum eſt, vt pedes cernuus exoſculer *Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendit.* Quantò maiori nos vinculo Chriſto deuinctos hodie iuſſũ eſt con- Lib. de hæreſ. fiteri, qui tres ſecum hodie ſumpſit Apoſtolos, & vt notat Epiph. in illis nos omnes, in montem excelſum, vt nobis eas oſtendat diuitias, eã celſitudinẽ, eam gloriam, quã nobis in cœlis præparauit; exemplar in corpore ſuo diuino proponens lætiſſimũ, polymitæ veſtis gloriæ, quã corpora noſtra circumcingens adornabit: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ad Philip. cap.3.21. Splendorem nobis communicans beatitudinis quæ nos expectet, tantum, vt Apoſtolici gregis Princeps D. Petrus, iudicarit ſufficere, videre illum tantummodo in altero, etiãſi in ſe illum non poſſideret, vt perpetuo cor eius gaudio exiliret: *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Petre vir ſanctiſſime, attende, quæſo, non tu cœleſti illa gloriæ pulchritudine circumfulges. Fateor, attamen illam in alio contẽplari, tanta eſt gloria, vt vltra nihil ſit deſiderandum: quid ergo erit, eam in ſeipſo poſſidere gloriæ maieſtatem?

In eum finem ducit eos in mõtem ſublimem, Iob 36.32 quaſi propheticum illud amici Iob adimplens: *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſum adueniat; annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & quod ad eam poſſit peruenire.* Cõmuniter abſcondit præcelſus ille Dominus hanc gloriæ lucem, ſed eius hodie, ipſo annuente quidam erumpunt lucidiſſimi radij, vt amicis ſuis exemplar obiiciat, non ad inanẽ oſtentationem, ſeu vitioſum faſtum, vt olim Ezechias Rex Iuda 4. Reg. 20. 13. dilatatis gazis theſauros ſuos manifeſtans oſtentauit, ſeu vt ſolent Principes, & orbis Crœſi, ſed vt illi eos inuitaret, alliceret, affirmaret, illis illa ſeruari parata, quibus frui, & poſſidere poſſe detur, ſic vt eorũ fiant hereditas æterna: *Annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit peruenire.* Eia igitur ô Chriſtiani: *Quicumque Chriſtum quæritis, oculos in altum tollite, illic licebit viſere ſignum perennis gloriæ* In hymno feſti Trãſfigurationis. cantat Eccleſia; perpende, quid tibi liceat obtinere, quam cõſequi gloriam. Dedit Spiritus S. conſi- Prou. 25. lium æterna diuinaque ſua ſapientia dignũ hominibus. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere*

*non potes: quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cælum* Cum enim illas videris, nec potueris obtinere, ingens te cruciabit dolor, iiſdem te frui non licere. Ad eas diuitias ſurſum oculos mentemque erigamus, quas nobis Chriſtus propinat, oſtendit, paratas promittit, ſi eas tantummodo velimus. Porro tales ſunt vt dicat Apoſtolus ad illas contemplandas, requiri Spiritus S. lucem, quæ ſenſus noſtros cordaque illuminet. *Non ceſſo gratias agens pro vobis memoriam veſtri faciens in orationibus meis: vt Deus Dominus noſter Ieſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in ſanctis.* (Eph. 1, 16.) Hanc Spiritus S. gratiam nobis concedi, meritis S. Virginis Mariæ humiliter poſtulemus, eique dicamus. *Aue Maria.*

### §. 1. *Vtilis eſt coeleſtis gloriæ prædicatio, ſicut Apoſtolis retis miſsio ad dexteram, Abiſag Dauidi, & regni ſomnia Ioſeph.*

☞ 2 SVbtiliter valde perpendit D. Chryſoſt. (Hom. 7. in imperfect. in Matth.) diuinæ actum ſapientiæ, eligere in prædicatores piſcatores: volebat enim vt eo modo prædicationis obirent officium, quo piſcationis obierant. Ita quoque notarũt alij Moyſen à Deo electum in ducem populi ſui, cum paſtor eſſet ouium. & Dauid in Regem, paſcẽtem patris ſui gregem, quo illos admoneret, vt eo ſe modo gererent in ſubditorum regimine ſuperiores: quo ſe geſſerant in paſcendis gregibus opiliones. Id ipſum Chriſtus apertè ſatis indicauit, cũ illos non dum vocauerit piſcatores, ſed etiã dum intenti capiendis piſcibus retia ſua laxarent: *Mittentes retia in mare.* (Matth. 4. 19.) Quo illis expoſuit, quid ab illis prætenderet, dum ait: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Deinde ipſis iam electis dum Petrum claſſis ſuæ primarium offendit piſcantem, capta piſcium copioſa multitudine, in verbo Chriſti laxato reti, eidem ait: *Ex hoc iam eris homines capiens.* (Luc. 5. 10.) Licet autẽ multis in rebus attendi poſſit muneris huius cum illo proportio, viam mihi munit, vt materiam noſtram exordiamur quam præ manibus habemus, id quod eidem Apoſtolorum Principi contigit dum poſt Chriſti reſurrectionem piſcaretur; hiſtoriam deſcribit D. Ioannes. Aliis comitibus Apoſtolis Petrus & Ioannes piſcabantur in mari Galilææ, licet autem ſæpiùs retè miſiſſent in mari vacuum tamen ſemper extraxerunt. Apparet illis Chriſtus glorioſus à mortuis rediuiuus, quibus præcepit: *Mittite in dexteram nauigij retè & inuenietis*: (Ioan. 21. 6.) Non ſemper ad ſiniſtram ſagena emittenda, iam vel ſemel ad dexteram mittite: *& inuenietis*, feliciter. Miſerunt, & tantam piſcium multitudinem concluſerunt, vt totis viribus, ſagenam vndis extrahendo adniterentur: *Traxerunt retè in terram, plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus.* Quo miraculo Chriſtus ſuos inſtruxit prædicatores, animarum piſcatores, quid illis incũbat agendum.

Duæ ſunt, (inquit D. Aug.) (Tract. 122. in c. 21. Ioan.) manus ad quas neceſſe eſt ſagenam eiiciant piſcatores animarum, dextera, & ſiniſtra, quas Chriſtus nobis ſignat concione de extremo iudicio: dextera manus, bona ſunt gloriæ, beatitudinis, quietiſque æternæ: *Delectationes in dextera tua vſque in finem.* (Pſ. 15. 10.) Siniſtra vero, ſunt ſempiterna ſupplicia, ignis inextinguibilis, horrenda maledictio, dæmonum legiones, cruciatus interminabiles. Non ſemper retè mittendum in ſiniſtram, non ſemper prædicator, ad peccatorum conuerſionem, infernales euomat maledictiones, flammas conſumentes, ignes, dæmones, pœnas ac tormenta, quæ Dei manent inimicos, periuros, peccatores. Minimè. Expedit vt aliquando rete mittat in dexteram, proponat cœleſtem gloriam, alliciat bonis æternum duraturis, deliniat regno ſempiterno, foueat deliciis, quiete, vitâ nunquã terminanda, attrahat gaudio bonorum omniũ, quæ diligentibus ſe fideliterque ſeruientibus Deus præparauit: vtraque manu dextera & ſiniſtra diuini verbi gladio vtendum, ſicut Aod, de quo S. pagina: *Fecit ſibi gladium ancipitem.* (Iud 3. 16.) Et in vtrumque latus rete eiiciendum: ſæpè quippè peccator obduratus, qui minis non terretur; mouetur, ac mollitur blanditiis, promiſſiſque regni cœleſtis: plurimos quoque inuenies, cũ quibus magis proficimus eos amoris indiciis deliniendo, quam mortis æternæ terriculamentis concutiendo. Ad dexteram igitur hodie nobis & cras eſt rete mittendum, de cœleſti gloria inſtituenda oratio, hæc mentis veſtræ oculis obiicienda: ſi enim homo ita proprij lucri ſit auidus, vt ſicut vbi nulla lucri ſpes affulget, manum non mouet, ita, vbi mercedis arridet emolumentum, fortiùs ad opus animatur: nobis animos ſuggerat & vires tale bonum, talis gloria, talis hereditas, tale regnum.

Optimè conſultum volebat D. Hieronymus, (Epiſt. 2. ad Nepot.) cuidam adoleſcenti Nepotiano ſui intimi amici Heliodori conſobrino, cui intendit argumentũ proponere, quod alacriores ſanat animos nouaſque

nouaſque vires in Dei famulatu; proinde conſu-
lit aulicorum Dauid ſequatur conſilium. Iam
annis vergentibus in ſenium diſtituitur viribus
Dauid ac naturali calore deficiente, frigore ta-
beſcebat: Applicantur ſenili corpori fouendo
panni calidiores, pellibus cooperitur ac ſtragu-
lis, nec incaleſcit: quid conſilii? *Quæramus Do-*
3.Reg.1.2 *mino noſtro Regi adoleſcentulam virginem*, pulcher-
rimam: ſaniſſimam optimæ complexionis vigo-
ris intenſi. *Quæ ſtet coram Rege, & foueat eum,*
*dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat Dominum*
*noſtrum Regem.* Huic conſilio nulla pulchrior,
nulla vegetior, aptior nulla Abiſag. Sunamitide:
illam Regi ſociant, illa fouet, corroborat illa
corpus ſenile, emortuum. Apage laſciuiæ vel mi-
nima ſuſpicio (cauet D. Hier.) nihil enim quid
ſimile intenderunt, ſed nec cogitarunt quidem
Regis conſiliarii: quinimo tale quid minus ho-
neſtum, & reliquum confecti corporis calorem
extinxiſſet; ſed nec ſi hoc intenderent, Dauidi
deerant mulieres, Abigail mulier vegeta, pru-
dens, Bethſabee pulchra, fœcunda.

Ne literam hic attendas mortuam ô Nepo-
3 potiane, ſed vitæ ſpiritum, pulchra hac ac ve-
geta virgine Abiſag figuratum, quæ mirificis
ſuis conditionibus æternæ gloriæ ſymbolum
præferebat. O quàm frigidum, contractum, &
ex multa malitia cor noſtrum languet infirmum
ſcopum attigit, qui illud comparat ciſternæ:
Hier. 6.7. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam, ſic frigi-*
*dam fecit malitiam ſuam.* Adſunt miniſtri conſi-
liarii, prædicatores, & Doctores, eius
ſalutis ſoliciti togas, pelles, lodices applicant,
exhortationes, reprehenſiones, cantus, Eccleſiæ
ceremonias, at tanto congelamur frigore, vt illis
minimè incaleſcamus, ſemper tepidi, ſemper in
Dei languentes amore, eiuſque obſequio ta-
beſcentes. Quæratur virgo pulcherrima, quæ
ſtet coram nobis, noſtroque ſinu requieſcat:
*Adoleſcentulam virginem, quæ ſtet coram Rege,*
*dormiatque in ſinu ſuo.* Hæc eſt æterna beatitudo
Apoc.21.9 quàm in figura puellæ pulcherrimæ, ornatiſſi-
mæ, ſponſæ Deus oſtendit D. Ioanni: *Veni oſten-*
*dam tibi ſponſam vxorem Agni.* Adeſto chariſſi-
me, En virgo pulcherrima, en puella elegan-
tiſſima, ſponſa Agni tunicis ornata polymitis
pretioſiſſimis gemmis ad ſplendorem collucens,
quæ quæſo, puella hæc, quam illi geſtis oſten-
dere? *Oſtendit mihi ciuitatem Hieruſalem &c.*
Hieruſalem cœleſtem, ſole ſplendidiorem, luna
pulchriorem, ſtellis venuſtiorem, immacula-
tam, ſine ruga, ſanam, nulla morborum tabe
infectam, non debilem, ſed omnigeno bonorum
cumulo redundantem. Ioannes, illam contem-
plare virginem, & tu Chriſtiane, tibi hanc pro-
pone adoleſcentulam, ſtet coram te, in ſinu
tuo conquieſcat, in pectore tuo dormiat, vt
Abiſag. Attolle lumina, contemplare, quæ eius
gloria, quæ diuitiæ pulchritudo. Cor tuum,
ſinum tuum dilata, & tanto bono liberum præ-
beto ingreſſum. O quas tibi vires ſubminiſtra-
bit, quàm intenſo cor tuum calore ſuccendet?
quo robore, quo mentis vigore animam confor-
tabit? *Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem,*
ait Diuus Auguſtinus. Contemplabantur Aſ- *In Pſ.36.*
ſyriani milites elegantiſſimam Iudith, & tantis
formæ dotibus abſorpti, exclamant: *Quis con-* *Iud. c.10.*
*temnat populum Hebræorum, qui tam decoras mu-* *18.*
*lieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra* *Lib.4.de*
*eos debeamus?* Perdoctè reuoluit D. Cyrill. *Adorat.*
Alexandrin. Verba Dauidis, quibus Ioſephi *ad fin.*
decantat calamitatem, *In ſeruum venundatus* *Pſal.104.*
*eſt Ioſeph: humiliauerunt in compedibus pedes eius,* *17.*
*ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret ver-*
*bum eius.* Promiſerat illi Deus per ſomnium
proſpera cuncta, dignitatum gradus, patris fra-
trumque incuruam adorationem, præcelſum
dominium, diuitias immenſas. dum rerum euen-
tum, promiſſis diuinis congruum lætus præſtola-
tur, ac ſperat anhelus: auerſa eum facie fortuna
deriſit: germani quippe fratres inuidia ſtimu-
lati in ſeruum fratrem vendunt viginti argen-
teis Iſmaelitis. *In ſeruum venumdatus eſt Ioſeph.*
Quis eum dolor afflixit, dum recordatur patri
ſe ſuo chariſſimum, eadem, qua fratres, natum
libertate, quos paternis laribus attendit exul-
tantes, liberoſque, ſe verò ad extremam reda-
ctum ſeruitutem. Addo, à domini ſui vxo-
re ad venerem prouocatus ſuam conſeruauit ca-
ſtitatem, ac pudicitiam dominique ſui tho-
rum ſeruauit immaculatum, Deique jura de-
fendit: eius legum amator: at dum pro tanto
munere, & fidelitatis obſequio digna eſſet
mercede laureandus, eius vt vxoris ſtuprator
accuſatur, in neruum mittitur, vinculis, cate-
niſque conſtringitur, vt ſeruus impudens, do-
mino iniurius, mortis reus conclamatur, exci-
pitur, infamatur. O quanto conficiebatur
dolore! *ferrum pertranſiit animam eius.* Con-
foſſa languebat anima, corque tremulum
mœſtitiæ configebatur acerbiſſimi luctus cla-
uo, cum hæc mente reuolueret triſtiſſima. Quis
ergo eum tot doloribus jactatum roborauit?
quis vires cordi contulit luctuoſo? quis languen-
tem erexit ſpiritum? quis animum mœrore con-
ſumptum recreauit? *Eloquium Domini inflam-*
*mauit eum.*

Promiſſi Diuini meminit, dum in ſomnis regnum eiae eminens oſtendit dominium, ſub ſtellarum, ac tritici manipulorum figura, vidit enim ſolem, lunam, ac ſtellas, ſe adorantes, & cum fratribus ſuis frumenta demetens, vidit ab ipſis ligatos ſtanteſque manipulos coram manipulo ſuo in terram procidentes. Hoc ei animum excitauit, roborauit, recreauit. Regnum (argumentatur Diuus Cyrillus) in ſomnis obiectum & viſum larua conſectum manipulorum, hoc in eo potuit, vt apud ſe hæc cogitans tandem illo potiar, tandem liber carceris ſoluar ergaſtulo, his pœnis eripiar, his vinculis leuabor, hac calumnia innocens exaltabor, regni diuitiis ſublimis felixque glotiabor, hæc mihi Deus ſpopondit futura, grauia omnia illa atque aſpera, mente tulerit infracta, animo virili, allectus ſpe futurorum: *Eloquium Domini inflammauit eum*; Quid non in nobis operabitur regnum, quod nobis proponit ſpondetque Deus, non regionis Ægypti, ſed cœlorum, non breui periturum, ſed æternum manſurum; regnum prælibatum non in ſomnis, ſed excitato intellectu noſtro ac illuminato, non in ſpicarum manipulis, ſed in ipſa perſona, vultu, ac corpore Redemptoris? hoc fieri ne poteſt ô Chriſtiane, quòd oblato tibi quatuor aſſium lucro maria percurras, fora frequentes, itinera mille periculis obſita peruageris, quod ipſe locus gradus honoris eminentioris intuitus, qui vitro fragilior, fumo euaneſcit inconſtantior, tibi noctes adferat inſomnes, jeiunos dies, tempus inquietum ac perturbatum; quod dignitatis vmbra imaginariæ in mille te cogat expenſas, & cruciatus; quòd vilis, ſordidus, & in honeſtus quem intendis, appetitus voluptuarius, tot te curis exedat, deſideriis exagitet: tales autem diuitiæ, tanta dignitas, immenſa regna, corporis mentiſque deliciæ, te nec accendant, nec vires addant, torpeaſque abiectus animo, velut alter Eſau prophanus. *Paruì pendens, quod primogenita vendidiſſet?* Gen. 25. 34.
Illa igitur intueamur.

§. 2. Aſſumpſit Ieſus &c. *Oſtendit Apoſtolis gloriam ſuam, ſicut Ezechieli templum, vt populum excitet ad pœnitentiam.*

ET *poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem, &c.* Liquet omnibus tractatus D. Chryſoſt. quo inueſtigat Chriſti Hom. 57. in Matth. mentem in hoc transfigurationis myſterio, quā ipſe ſenſit eam fuiſſe, vt Apoſtolorum animos excitaret alacrius, ex prædictis etenim paucis ante diebus, animo deſpondere potuiſſent. Eos apud Cæſaream Philippi, de Diuinæ perſonæ ſuæ fide interrogauerat, & approbatur Principis Apoſtolorum concluſio Theologica, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Matt. 16. 16. Ilico progreditur vlterius, præmonet illos de morte ſua, crucis morte ignominioſa ac doloroſa: *Quia oportebat eum multa pati: &c.* quodque qui illum ſequi vellet, eiuſque fieri diſcipulus, tolleret crucem ſuam, propriæ carnifex vitæ, eam odiret vt inimicam: crederent fide certa, eius aduentum glorioſum, maieſtate ſplendidum, ſtipatum Angelis, qui ampliſſimis eſſet prœmiis remuneraturus obſequentes: *Filius enim hominis venturus eſt in gloria, cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique, &c.* Ezech. 12. 22. 27. Ne vero illi obiiceretur illud quod olim Ezechieli ab Iſraelitis *In longa temporaiſte prophetat.* addit, quod ad eiuſdem gloriæ ſpectaculum aliquos ex præſentium numero ſeligeret qui eius viſionis potirentur gaudio, antequam hac vita mortali defungerentur, quibus, quam pollicebatur, gloriæ ſpeciem ſpectandam exhiberet. *Sunt de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem donec videant filium hominis in regno ſuo.* Quia vero Chriſtus ita futurorum dat fidem, vt copioſius excedat promiſſa, licet hanc in multa tempora potuiſſet differre viſionem, cum pluribus annis adſtantes ſuperuixerint, tam feſtinato tamen hanc eis regni ſui conceſſit viſionem, vt non niſi ſextiduum interlaberetur. *Et poſt dies ſex aſſumpſit &c.* q. d. fateor operoſum eſt, ac cum primis arduum, ferre crucem ſuam, carnem mortificare, flagellis cædere, eius carnificem agere, jejuniis macerare, noctes ducere inſomnes, perpeti perſecutiones, patientiam ſeruare illæſam in durioribus impugnationibus: attamen prœmium attende, tibi largiendum. Ad hoc tres elegit ſuos Apoſtolos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, quos in montem ducit excelſum, vt regni ſui fiant ac gloriæ ſpeculatores, ipſique ſint quibus ſuæ pandat celſitudinem maieſtatis.

Hoc D. Petrus his verbis expoſuit: *Non doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* 2. Pet. 1. 16. Speculatores elegit. Rei alicuius ſpeculator ille propriè dicitur, qui rem attentione conſiderat ſingulari, vt eius poſtmodū reddat rationem, & explicationē. *Speculatores illius magnitudinis.* Aliud D. Petro non occurrit nomē aptius, quo tantæ celſitudinis gloriā conuenientius explicet, proinde illo hanc ſic denominat: *Illius magnitudinis.* Elegit nos Deus ſpeculato-

res, & aſſupſit,vt eſſemus ſpeculatores,quales il-
li fuerunt, quos ex Dei præcepto elegit Moyſes
terræ promiſſionis ſpeculatores,vt eam ſuis con
ſiderarent oculis, & populo,redeuntes,redderent
eius rationem, vt eum ad eiuſdem animarent
Iſa. 52, 8. poſſeſſionem. Tales Deus mittere debebat,
ſpeculatores,prædixit Iſaias vt eorum, quæ vi-
derant,mundo redderent rationem: *Vox ſpecu-
latorum tuorum.* Audiendi ſunt, clare enim lo-
quuntur. *Leuauerunt vocem,ſimul laudabunt:* Il-
liſque ſecure fides adhibenda: *Quia oculo ad
oculum videbunt:* nec enim viſio imaginaria,ne-
que phantaſmatiça,neque doctis atque ingenio-
ſis fabulis ficta transformatio,de Poetarum ce-
rebro educta, ſed viſio manifeſta, & ocularis.
*Sed ſpeculatores facti illius magnitudinis.* In hunc
igitur finem *Aſſumpſit Ieſus Petrum,&c.*

In c. 45. Ezech. Diuino plane conſilio ac ſapientia geſtum
cenſet D. Hier. id quod fecit Deus vt populi ſui
confractus vires reſtauraret,acerbioribus in Ba
bylonia tribulationibus agitari, iuſta criminum
ſuorum exigente vindicta, Dei populus captiuus
in Babylonia detinebatur horum autem crimi-
num ignari, & minus ea corrigentes,hanc impa-
tienter ferebant ſeruitutem: hæc quippe noſtra
dolenda ſors eſt, qui cum Dei flagella plus æ-
quo mereamur,ea tamen minus patienter,æquo-
que animo,quinimo queruli,contumaces ac Dei
beneplacito refractarii, toleremus. Vult benig-
nus Deus animare populum; ad hoc aſſumit
prophetam Ezechielem,raptumque ſpiritu, de-
fert in altiſſimum montem, oſtendit illi ciuita-
tem ad miraculum illuſtriſſimam in quadro ſi-
tam,templo ornatam glorioſiſſimo, Cherubinis
palmiſque adornato, diuerſo eoque innumero
cultu,ac decore ſplendidiſſimo. In extaſim ra-
pitur Propheta,tantis diuitiis, tantaque gloria
mirabundus. O Domine,quis tantus hic ſplen-
dor? quæ tanta templi maieſtas? Attentius
templum intuere. In quem, quæſo te, finem? ut
hinc deſcendens,eorum quæ vidiſti,populo meo
reddas rationem,ne deſpondeant animo,ſed his
animentur,ac nouis viribus alacriores aſſumant
pœnitentiam, perferant aduerſitates, & onus
Ezech. 43. 10. tolerent ſeruitutis. *Oſtende domui Iſrael,* (ita le-
gunt ſeptuaginta, vt notat D. Hier. *Domum &
viſionem illius & diſpoſitionem eius, & ceſſabunt a
peccatis ſuis,& ipſi ſuſtinebunt tormentum ſuum.*
Hoc idem agit hodie Chriſtus, æterna Patris
ſapientia. Nouit nos aduerſitatibus delaſſari, ie-
iuniis affligi, mortificationibus humiliari, con-
tinua cruce ferenda animo concidere. Tres claſ-
ſis ſuæ maxime perſpicaces aſſumit Apoſtolos
Petrum,Iacobum & Ioannem. Vt gloriam il-
lam quam præparauit,contemplentur,quatenus
illis hanc nobis proponentibus,& nobis ad illam
oculos attollentibus, vitæ præſentis, & captiui-
tatis labores cum patientia ſuſtineamus. *Porta-
bunt tormenta ſua.* Et in rei veritate, nihil eſt
quod animæ robur addat inuictum,ad pœniten-
tiæ labores,ieiuniorum inediam, mortificatio-
num acerbitatem, ad grauia denique omnia ſu-
ſtinenda, vt huius gloriæ contemplatio. *Si vis* D. Augu. In Pſ. 39.
*ſuſtinere laborem* (inquit D. Aug.) *Attende merce-* Tom. 3. in
*dem. Nam & operarius in vinea deficeret, niſi at-* illud A Do
*tenderet,quid accepturus eſſet. Cum autem atten-* mino greſ-
*deris, quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia,* ſus homi-
*quæ pateris,nec digne æſtimabis,pro quibus illud ac-* nis.
*cipias,miraberis tanta dari pro tanto labore: Nam
vtique fratres pro æterna requie labor æternus ſu-
beundus erat: æternam felicitatem accepturus, æter-
nas paſſiones ſuſtinere deberes &c. Tamen non ſo-
lum voluit Deus temporalem laborem tuum, ſed
& breuem. &c.* Quid D. Stephano (quærit D.
Au).animum indidit, patienter ac libenter lapidũ
grandinem capiti ſuo irruentem ſuſtinendi, niſi L. Solilo. c. 22.
id quod ipſe teſtatur. *Ecce video cœlos apertos &c.?*

Quis vires Laurentio miniſtrauit,vt prodigio- Actu. c. 7. 55.
ſum illud craticulæ candentis perferret tormen-
tum inuictus, niſi huius gloriæ contuitus? quis I.
D. Vincentium lecto teſtaceis fragmentis con- Gloriæ
ſtrato roborauit decumbentem? Quis quadragin conſidera
ta Martyres ſtagno frigore nimio congelato re- tio vires
creauit iniectos? Quis D. Petr. in cruce, D. Paul. addidit
cæteroſque Martyres innumeros ſuis in ſuppli- Martyri-
ciis inſuperabiles animauit? Quis in deſertis A- bus. To. 8.
nachoritas, quis aſperis contectos ciliciis, durio-
ribus pœnitentiæ operibus inſudantes Mona-
chos viribus ampliauit? *Propter ſpem quæ repoſita
eſt vobis in cœlo,* acclamat Apoſtolus qui gloriæ Colo. c. 1. 5.
cœleſtis ſpem anchoræ comparat. Quid nauim
tot inter ſæuientes fluctus detinet immobilem,
quando contra eam inſurgit furioſis ſuis flatibus
nunc ille, nunc ventus alter, Euro, Fauonius, Au-
ſtro reflat Septemtrio, quam modo vndarum vo
lumina ad aera ſubleuant, modo ad ima profun-
di demergunt perituram? Anchora. Talis ſpes
eſt. Nauis anchora terræ infigitur, eamque ſiſtit
inter vndas ſecuram, ſi rupi ad maris profundum
adhæreſcat: anchora vero ſpei firmiori aggluti-
natur fundamento, qui cœlo fulcitur, altiſſimis
ſiderum rupibus affigitur; *Habemus ſpem tan-
quam anchoram animæ, tutam ac firmam, inceden-* He. c. 6. 19.
*tem vſque ad interiora velaminis.* Quando ibi-
dem vere ac ſerio figitur, nihil verendum, tuta
eſt nauis mille licet obruta tempeſtatibus:

6 Tales admiror deiectos huius mundi pelagus enauigantes; qua enim ratione Iob tot diaboli ſæuientis, ac ſæpe repetitas potuiſſet illæſus perferre tempeſtates? Quibus artibus D. Catharina virgo tenerrima ſtetit imperturbata, mente quieta tot inter feriſſimas rotas cuſpidibus armatas præacutis? quomodo tam alacris D. Agatha caldariæ pice ardenti demerſa, vt exultans dicat: *Numquam in tota vita mea ita lætatum eſt cor meum?* Quid D. Franciſcum in tanta rerum inopia exhibet gloriantem? D. Dominicum Patriarcham Ordinis noſtri, in hæreticorum perſecutionibus, gaudio exilientem? D. Vincentium inter diſciplinæ verbera læte concinentem? Hanc tu ſurſum anchoram figito: ſic monet D. Aug. *Spem in illam terram quaſi anchoram præmiſimus, ne in iſto mari naufragemus.* Hæc te lætum reddet in pœnitentia, in perſecutionibus infractum, in paupertate diuitem, in ieiuniis hilarem, & in piis operibus perſeuerantem. Auditu iucunda verba ſunt illa Dauidis quibus Pſalmum concludit vigeſimum ſextum, quo ſeipſum delineat variis ac grauibus tempeſtatibus iactatum, & in iis a parentibus derelictum; *Pater meus & mater mea dereliquerunt me*: Falſis teſtibus accuſatum quibus in populi totius ac Regis ſoceri ſui indignationem inciderat maximam, quod præ cæteris fert ægerrime vir honoratus: *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi* q. d. (Interprete Genebrardo) antequam in me ſua proferrent teſtimonia, inter ſe illa compoſuerant ac conuenerant, quo magis ea ad veritatem inclinarent, & in Dauidis grauius vergerent ipſa præiudicium. *Mentita eſt iniquitas ſibi, id eſt, ſtudioſe apud ſe mendacium compoſuerunt, attente ſunt meditati, vt ea perſuaderent.* Quid adhoc o Dauid, quid conſilii? Hac in decumana quietus ſedeo tempeſtate: quid te detinet ſedatum? ſpes. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Video cuncta hæc tandem finienda & ad ſummum paucis diebus duratura, & illa quæ hac perfero patientia, Dei bona, Dei regna, Dei gloriam me ſpero conſecuturum In Hebræo phraſis quædam eſt loquendi rara: *Niſi credidiſſem videre bona Domini.* Modus eſt loquendi, qui cum ſit imperfectus, maiorem habet Emphaſim; ſicut quoque loqueris, niſi attenderem quis eſſem, niſi ego ſperarem quod talis redderet rationem, q. d. Niſi oculos meos attollerem, vt ea contemplarer bona, quæ me manent, qua ratione ea quæ modo ſuſtineo, ſuſtinerem? qua ratione tali ferendo ponderi mihi vires ſufficerent? illuc oculos ſurſum attolle, & te poſſe mundi grauiſſima perferre obſtupeſces. Imo & ipſe Christus cœli fortitudo, ipſa cœli, regnique ſui contemplatione, ad ferendam, tantam, quantam tulit crucem, fortius animatur *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.*

D. Augu In Pſ. 64. Tom. 8.

Pſal. 26.

Pſ. 26. 13.

He. c. 12. 2

## §. 3. *Vt valde proficuam ordinauit Deus Dauidi cæleſtis gloriæ contemplationem, & hanc nobis deſiderat D. Paulus Apoſtolus.*

ERat autem illud remedium, vtpote cæteris efficacius, quod optabat D. Paul. Epheſianis, 7
illiſque a Deo dari depoſcebat. *Non ceſſo gratias agere pro vobis memoriam veſtri faciens in orationibus meis.* Et quid pro eis expoſtulas o diue Apoſtole? *Vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis in Sanctis eius.* Nullum lego hic verbum quod infinitis non abundet myſteriis, attamen omnibus præteritis, id tantum aſſero, Apoſtolum hic alludere colloquio Dauidis cum Deo. Totum eum onerabant aduerſitates; ſocer eius Saul, Philiſthinis iam abſolutus, ob deuictum a Dauide proſtratumque Goliath, qui eum honoribus attollere, fidemque promiſſis dare debuerat, in eum inſurgit inhumanus, perdius & pernox eum inſequitur; ſubditus ei populus arma ſumit rebellis, ex vtero natus eius filius Abſalon, ad eas patrem cogit anguſtias, vt neceſſe ſit fuga ſibi conſulere, proprio diſcedere palatio, per inuia & incerta vagari profugum. *Circumdederunt me mala quorum non eſt numerus.* Tantis igitur malis implicitus, ad Deum confugit. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea; erue me a circumdantibus me.* Omnes in me bella mouent, Domine, creaturæ, tu ſolus refugium meum vnicum ſolamen, ad te recurro exultatio mea, gaudium meum, honor meus, libera me a circumdantibus me tribulationibus.

Epheſ. c. 1. 16.

Pſ. 39. 13. 31. 7.

Hoc tibi agendum dum ærumnabili curarum robore diſcruciaris, dum totum mundum pateris aduerſarium: ad Deum confuge, coram eo proſtratus ingemiſce, exclama, ſupplica: *Tu es refugium meum &c. Erue me.* Ita Dauid ad Deum recurrit. Num illi Deus reſpondit? vtique. Præſtitit auxilium? qua ratione a tribulationibus eruit?

uit? diſperdidit inimicos? Nequaquam, at vero præſcripſiti illi remedium vtiliſſimum, intellectus ſui illuminauit aciem luce quadam ſuperna, qua tribulationum illarum cerneret finem, bonum infinitum, cœleſtemque gloriam, ad quā his tribulationibus via ſternitur tutiſſima. O quantum beneficium, ſi cui hoc Deus concedit;
Pſ. 15. 5. ſuam Dauid declamat felicitatem; *Dominus pars hereditatis mea, & calicis mei.* O Dauid, an hanc ſortem credis eſſe proſperam? Credo: & ob hanc gratias Deo agam immortales: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* Magnum enim mihi cenſeo collatum a Deo beneficium, cum mihi donum tale conceſſerit De quo doctiſſime tractat D. Thomas & cum tale
1. 2. q. 8. a. 1. & 18. ſit, quaſi delectum agit Deus eorum, quæ Dauidi addicit exhibenda; *Intellectum tibi dabo, &*
Pſ. 31. 8. *inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.* Quæ inquam, via ſit qua ad gloriam tenditur & pro momentaneis laboribus requies datur ſempiterna, *Intellectum tibi dabo,*
D. Augu. in Pſ. 56. Tom. 8. quo de his iuſte poſſis veraciterque diiudicare.

Proponitur nobis pia D. Auguſtini exhortatio. *Foderunt ante faciem meam foueam. Intendite fratres mei,* (inquit ille) *Chriſtianos oculos habete, nolite dare ipſi viſibilibus* (& ſtatim) *Noli habere oculos Paganorum Chriſtianos oculos habe.* Quam
D. Bernar ſer. vlt. c. In Qui habitat. Rom. 5. 2. clare vident fide oculi illuminati? Vt oculi Diui Pauli. Qui gloriam videt in tribulationibus Diuus Bernardus verba expendit. Diui Pauli: *Gloriamur in ſpe gloriæ, non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Ne intellexeris hanc a prima differre gloriationem, ſed rationem exponit, quæ ſit cur tribulationibus gloriæ ſpes includatur. *Non altera gloriatio commendatur, ſed additur vbi ſpes gloriæ, quidem in tribulationibus ſpes gloriæ, imo & in ipſa tribulatione gloria continetur Sicut ſpes fructus in ſemine ſic & ipſe fructus in ſemine eſt.* (Quod probat elucidans hæc alia eiuſdem verba:) *Quod momentaneum, eſt & leue, æternum gloriæ pondus operatur. Non dixit, Remunerabitur, ſed æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc leui pondus ſublime, & ſupra modum, in hoc mundo regnum Dei intra nos eſt, theſaurus ingens in fictili vaſe, in agro vili eſt inquam, ſed abſconditum eſt. Felix qui ibi inuenerit illud Oculus fidei inuenit hunc theſaurum, non ſecundum faciem iudicans, ſed videns, quæ non apparent, &c.*

Hanc hominis lugeo calamitatem, qui in pœnis hoc tantum attendit, quod ex illis ſuperficialiter offertur, & oculi ſenſuſque cernunt corporales, proinde ipſas odit ærumnas, & ſuas ſequitur voluptates: *Intellectum tibi dabo,* (promittit Deus) quibus illas perſcruteris, & ſub pœnis gloriam, ſub laboribus quietem, ſub mortificatione
mentis gaudium, ſub morte vitam mediteris 2. Cor. 4. 17
ſempiternam. *Id enim* (aſſeuerat Apoſtolus) *quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt. Dabo tibi.* (adſtruit Deus) *intellectum,* quo non iudices ſecundum id quod exteriores vident oculi, hoc enim eſt, in quo melior boni pars iuſto conſiſtit, *Quod non ſecundum viſionem oculorum iudicabit.* Sed intellectu ſu-
perna luce colluſtrato, qui finem ac coronam Iſa. 11. 3.
perſcrutetur, ad quam nos ducit ſemita calamitatum. Hac ratione adeo creſcebat animus Dauidi, tantoque mentis ardore ſuis crucem imponere humeris, vt eam exoſcularetur, illa exultaret, & quo vehementior ingruebat perſecutio,
eo eſſet excitatior, & quo tribulatio vehementi- Pſ. 114. 3.
or, eo quietior, vt præ gaudio dicat: *Tribulationem & dolorem inueni.* Quaſi tribulatione in-
uenta, nos inuitet, vt illi congratulemur, vt alia Luc. 15. 6
quæ dicebat, *Congratulamini mihi, quia inueni dragmam, quam perdideram.* His igitur ad nos conuerſus, omnes exhortatur: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* O homines compotes rationis, ne de rebus, vt animalia, iudicetis, quibus aliud non eſt principium illas diſcernendi, niſi ſenſus oculique corporales, quibus cum diiudicent, laboras, flagella, lectos aſperiores, ſtricta ieiunia, mordaces diſciplinas, ærumnas affligentes exhorreſcunt, ſuiſque ſtudent voluptatibus: vos vero illuminato intellectu de illis ſentite in veritate, finem & exitum attendite, ad quem vos Deus creauit, qualis ille non eſt, vt vitæ huius bonis fruamini temporalibus, ſed æternis; & hanc eſſe viam illa conſequendi, crucem, mortificationem, labores, ærumnas, lachrymas, & ſub infirmitate latere ſalutem, ſub paupertate temporali æternas diuitias, & ſub huius vitæ lachrymis, futuræ conſolationem.

Receptior eſt opinio, quam certior, quæ docet 8.
operari ſolis lucem in quorumdam oculis, quando pleno & inoffenſo lumine illis irradiat. Quo tempore vir lynceus, quem hiſpani vocant *Zahories* ambulat in vmbra, licet videat, ea tamen ſolummodo videt, quæ ſunt in ſuperficie terræ, &

quæ

quæ oculis ſuis patent; videt ſpinas, tribulos, ericeta, terram, quæ illi non niſi fimetum videntur: quocirca illa tranſit vilipendens. Attamen luce ſolis illi irradiante, ſub terra ſeptem detegit ferres, in profundis gurgitibus aquarum clare videt fluentem, & auri primi diuites fodinas, ac theſauros abſconditos, dicens: hic ſiſtite, hic quieſcite, hic terram eruite, fodite, ſub hac etenim terra arida, aquas video limpidiſſimas, & ſub illis limpidiſſimis lapidibus theſauros pretioſos. Hanc nobis optat lucem, hos oculos D. Paul. perſpicaces, Lynceos, qui profunda penetrent, nec in ſpinarum, tribulorum, ericetorum hæreant ſuperficie, laborum, pœnarum, aduerſitatum, ſed quæ ſub eis latent abſcondita diligentius explorent. *Domini noſtri Ieſu Chriſti Deus Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis veſtri.* Eleganter ac ſubtiliter Apoſtolus, vt dicat, quod Deum rogaret, vt oculos cordis eorum illuminaret ad bonorum cœleſtium ac gloriæ agnitionem, illum vocat, *Deus, Pater gloriæ* quo declaret, ad cœleſtis, ſupernique boni cognitionem, nec lucem ſufficere naturalem, nec creati intellectus acumen, etiam Angelici, ſed quod lux requiratur ſuperna, cœleſtis, ſupernaturalis, & ſplendor quidem eiuſdem gloriæ: ſicut ad lucem ſolis intuendum, nec faces, nec ignes nec candelæ, nec totius orbis ſufficiunt luminaria, ſed radius quidam qui de eodem procedat ſole eſt neceſſarius.

I. Similitudo.

*Ep.c.1.17.*

Proinde idem probat Apoſtolus, exponens fidei neceſſitatem, dum ait: *Eſt fides ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Hæc neceſſaria eſt, non talis, qualis, ſed viua, illuminata, ardens charitate. Illuminet pater gloriæ oculos cordis veſtri, luce ſua ſupernaturali, qua finem veſtrum exploretis, ac quæ ſint illa bona cognoſcatis, ad quæ vos Deus vocauit: *Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis veſtræ:* Hoc nomine frequentius appellat Apoſtolus Chriſtianos: *Vocatos. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem, ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Chriſti myſterium crucifixi Iudæis lapis eſt offenſionis, Gentibus ſtultitiæ obiectum paradigma, *Ipſis autem vocatis &c.* Qui ſunt hi vocati? Chriſtiani: Vocationem primum ſignat effectum Apoſtolus prædeſtinationis. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Ad vineæ culturam illos vocauit, quibus ſtipendium prædeſtinarat, Ad nuptias vocauit, quos eis veſci præoptabat: *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam.* Hoc oro Deum & patrem gloriæ, (inquit Apoſtolus) vt ſuam vobis infundat lucem, veſtros illuminet oculos, ut ea cognoſcatis bona, ad quæ vos vocando prædeſtinauit. O quam fructuoſe tempus impenſum, quam foret o Chriſtiane vtilis occupatio, ſi aliquoties imo ſæpius oculos erigeres intellectus, fidei luce roboratus, attenderes diligentius, in quem me finem Deus vocauit, ad Eccleſiam? Ad quid baptizatus Chriſtianus? quale mihi præmium offertur? quis viæ terminus quam ingredior? quæ ſpes vocationis meæ? quæ mihi Deus bona pollicetur? quæ mihi ob oculos gaudia proponuntur? *Quæ ſit ſpes vocationis veſtræ, & quæ diuitiæ eius in ſanctis?* Quanta gloria, chariſſime, ad quam te vocauit? quantæ diuitiæ, honor quantus? num forte ad hoc te vocauit, vt auri, & argenti cenſibus, cumuliſque ditet Indiarum? Num ut arcas offerat, gemmis turgidas pretioſiſſimis? Num vt comitatu, ciuitatum Dominio & titulis exaltet dignitatum? Num forte vt capiti coronas imponat regales, vel ter auguſtas? Num forte ſolem, lunam, & ſplendidiſſima mundi donabit luminaria? Hæc omnia nihil ſunt, ſordes ſunt, puluis ſunt: ad quæ vero te vocauit, diuitiæ ſunt eius, eius gloria, totum eius regnum. Si diuitiæ conueniunt poſſeſſori, ſi regnum conforme regi, ſi dominium Domino, quales erunt Dei diuitiæ? quale Dei regnum? quale Dei dominium? ad hoc te vocauit, vt dominum te faciat totius domus ſuæ, vt te regnorum ſuorum omnium creet regem, vt omnium te ſcribat diuitiarum ex aſſe poſſeſſorem.

*Hebr.c.11 1.*

*1Cor.1.23*

*Ro.c.8.29.*

*2.Tim.c.1 9.*

## §. 4. *In baptiſmo cælorum efficimur candidati: quod Abbas Moyſes docuit poni noſtrarum fundamentum actionum.*

FVſe lateque diximus alibi de ceremoniis, quibus Sancta mater Eccleſia a Spiritu Sancto edocta vtitur in adminiſtrando S. Baptiſmatis Sacramento, quodque puerum baptizatum alba induit veſte ſacroque perungit oleo. Prima ceremonia veſtis albæ ſumpta dicitur

9 *Tract.38. 14.& 11. & Tract.1 n.42.& 43.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Li. de corona militis.* dicitur teſte Tertullian. ex Romanis Gentilibus, inter quos qui ad dignitatem adſpirabat, veſte candida induebatur, dicebaturque Candidatus. quæ veſtis eum iugiter admonebat eius vitæ quam ducere tenebatur, morumque integritatis quâ cæteris præfulgeret; vt ait Cicero, *Cicero. Ad fratr.* & eo ipſo, quo quis dignitatem ambiebat, hacque veſte candida indutus videbatur, ſeipſum adſtringebat ne vile quid, aut abiectum ageret, aut minus ei conueniens, quod agere tenebatur, ille qui tantam ambiret dignitatem. Secunda nimirum vnctionis, à populo Dei mutuata dicitur, apud quē qui in culmine ponebatur regio Sacramenta ſuſcipiebat vnctionis, quæ ceremonia primum ius dabat ac titulum ad regnum, vt patet in prima illa vnctione, qua Samuel Saülem vnxit in regem & ducem populi, deinde quâ ſacrauit Dauidem. Iterum dum Nathan Salomonem vngit: & alius Prophe.a Ieſu. Denique qua Ioiadas ſacerdos Ioas ſexennem liniebat.

I. Quid veſtis alba, & vnctio ſignificēt in baptizatis.

*1. Reg. 9. 1. Reg. 10. 3. Reg. 1. 4. Reg. 9. 4. Reg. 11.*

Hoc autem ad prodigium accidebat, quod cum ſæpè is, qui ad thronum regium vngebatur, homo eſſet abiectus litteris moribuſque non ſatis initiatu:, ipſa ſuſcepta vnctione, in virum alterum mutaretur, iam cogitaret ſublimia, loqueretur digna rege, cunctaque militaria munera accuratiſſimè obiret: vt exemplo probatur in Saüle, qui cum mulionem ageret, eo cuncta eius ſtudia ac cogitationes dirigebantur, quibus aſinas ac patris iumenta moderaretur: vnctus autem in Regem: *Immutauit ei Deus cor aliud.* Vt reiectis prioribus ſtudiis vtique viloribus, & maieſtate regia minùs dignis iam nihil antiquius haberet, quàm ea agere, quæ ad Reipublicæ commodum faciunt, exercitus conſcribere, ciuitates oppugnare, regna ſubiicere, curias erigere, nihil non regium meditari. Hinc illa Iſaiæ innititur propoſitio: *Princeps, ea quæ digna ſunt principe, cogitabit.* Hoc tecum agitur ô Chriſtiane. O ſi lynceis ſpectares oculis, ad quid te Deus vocauit in baptiſmatis Sacramento: *quæ ſit ſpes vocationis veſtræ:* vocauit te, ad minus nihil, quàm vt regnorum ſis rex cœleſtium, diuinorum, æternorum, quorum comparatione cuncta mundi regna etiam opulentiſſima puluis ſunt, ſcoria ſunt, vanitas ſunt, vmbra ſunt. Ad hoc candida indueris veſte, illorum regnorum Candidatus; vt hæc diu noctuque animum tuum pulſet, ac memineris, quod talis tibi vita ſit inſtituenda, quæ virum decet, qui præclara meditatur, altiora petit, primas venatur cathedras, ſedeſque dignitatum. Quem non riſum Romæ vir ille concitaret, (vt fratri ſuo Quinto ſcribit Cicero Princeps eloquentiæ, conſulatus Romani candidato exponens, quâ ſibi ſit deinceps viuendum cautione) qui candidam veſtem aſſumeret, qua ſe ſupremi magiſtratus, ſummorumque graduum vrbis illius Imperialis ſignaret candidatum, ſi omne eius ſtudium non in aliud tenderet, quàm vt ſtipulas per vrbis plateas colligeret, illarum ſe luto oneraret, ſtabulorum puluerem euerreret, anhelus atomos in ſolis radiis apparentes exciperet volitantes? Te S. Chriſmatis vngunt oleo in corpore in ſignum vnctionis, qua Spiritus ſanctus animam tuam oleo ſuæ diuinæ gratiæ perungit, vt ait Apoſtolus. in tanti muneris pignus, nimirum Diuinæ naturæ participationis, (teſte D. Petro) per quam verè filius Dei conſtitueris, & diuinæ ſubſtantiæ gaudes participatione, qua te ſuorum ex aſſe regnorum aſſumit heredem. *Si filij & heredes, &c.* Vtinam hæc attenderes, vtinam qualis ſit gloria conſiderares, quale regnum, quæ magnitudo, quæ dignitas, & tales tuæ forent cogitationes, quales eius ſunt, qui regni talis ambit dignitatem; qui factus eſt Candidatus, Princeps, heres talium diuitiarum. Quod ſi Principem Dominum noſtrum, Paternorum heredem regnorum cerneres intentum, ſollicitum, anxium quærendis aurichalco, ligularum, cuſpidibus, acubus, & ſpicillorum fragminibus, lignorum ſegminibus, per terram volutaretur, fimetis ſe conſpurcaret, quid diceres? O Princeps ſereniſſimè, perpende cuius ſis filius, qua te Deus præ cæteris præuenit benedictione, vt Patris tui regnorum heres naſcereris, regnorum inquam quibus nulla dit ora, nulla latiora, nulla præclariora. Hanc miſeram noſtram ſortem lamentabatur Dauid, dum ait: *Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? ſcitote quia mirificauit Dominus ſanctum ſuum,* verba hæc, *Filij hominum* legunt alij ex Hebræo: *Filij viri inclyti*, capiunt verò quidam hoc, quaſi illis in memoriam reduceret, quòd filij eſſent viri illius inclyti Abrahæ: Tali parente geniti, viri, quos Deus ſpe tali ditauit, quaſi filios Abrahæ benedixit, vſquequo ſtudia, curaſque veſtras impenditis futilibus, nugis, crepundiis riſu digniſſimis? Scitote ad quantam Deus iuſtum euehat eminentiam; *Scitote, quia mirificauit Dominus ſanctum ſuum*; quid ſit quod tibi condixerit, ad quid vocauerit? quid prætendas? quis tuus ſit finis. Hinc collige,

*1. Reg. 10. 9.*

*Iſai. 32. 8.*

*2. Cor. 1. 2. Petr. c. 1. Rom. c. 8. 17.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quòd talis tua debeat eſſe ſollicitudo, exercitia talia, conformes actiones. Propterea oro, *vt Deus Domini noſtri Ieſu Pater gloriæ, det, &c. illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius.*

*Epheſ. c. 1. 16.*

☞ 10. *Lib. 1. Collat. in principi.* Memoratu dignam veneror doctrinam, quâ S. Abbas Moyſes ſuos inſtruxit & vt talẽ proponit Caſſi. n. Collationum ſuarum exordium: erant etenim hæ Collationes, colloquia quædam amica, ſeu diſcurſus familiares, quibus priſci Monachi ſe mutuo ad virtutum exercitium, & perſeuerantem in Dei obſequio famulatum cohortabantur. Abundabant Schytiæ ſolitudines ſanctiſſimis illis religioſis, qui eo confugerant, mundi fugientes vanitatem: quorum aliqui ſolitarij viuebant, nullis terrenis comitibus, ſed cœleſtibus ſtipati; in cœlo quippè corde & animo morabantur, terram faſtidientes; quidam autem in Monaſteriis vitam agebant ſocialem, ita piis operibus, ac virtutum exercitiis dediti, vt eorum vnumquodque Monaſterium cœleſtium apium eſſet ſtudioſiſſimum aluearium, quæ Sacræ Scripturæ & piorum operum floribus oberrantes ac inſidentes admirandos, dulciſſimoſque quarumlibet virtutum fauos conficiebant. Inter cæteros caput efferebat Abbas Moyſes, vir non inferior moribus quàm litteris, qui licet paucis loqueretur, ſingula tamen eius verba emphaſim eructabãt ſingularem. Eius videndi cupidus Abbas Caſſianus, comite alio Abbate Germano viro probitate celebri ad eius cellam tetendit: quo cum perueniſſent, humiliter inſtiterunt, vt aliquod eis ædificationis verbum proponeret. Tacebat Abbas Moyſes: & quo ſtrictius ſeruabat ſilentium, eo hoſpites aduenæ ſpiritu ardentiori pedibus eius prouoluti poſtulabant, vt eis ad vitæ ſpiritualis incrementum quandam prælegeret lectionem, idque tãtis obortis lachrymis, vt eorum repellere non potuerit petitionẽ, tum ille, noſtis, inquit filij chariſſimi; quòd quotquot in mundo viuunt, ad aliquid aſpirent, & quiſque ſuas ita diſponit, dirigitque actiones, vt ſuam promoueat intentionem, & quod prætendit facilius aſſequatur. Is qui litibus intricatur, hæc eius eſt intentio, vt ſententiam in ſui fauorem eliciat, nullum propterea non mouet lapidem, quem nouit intentioni ſuæ eſſe neceſſarium, conſulit legiſperitos, ſcripta reuoluit, curias percurrit, ſollicitat procuratores. Mens ea eſt agricolæ, vt frugiferam & abundantem colligat meſſem, eò cuncta tẽdunt illius ſtudia, quatenus eam aſſequatur, arat terram, rigat, ſeminat liberali manu, nulla timet hyemis frigora, nullis abigitur imbribus, nullo terretur tonitru, nullis caloribus otio nullo oblitеſcit. Mercator, cuius vnicus ſcopus eſt lucrum, vt illud aſſequatur, res omnes officioſiſſimè curat, quas nouit ſcopo conuenire, nundinas frequentat, ſuas habet correſpondentias, ianimedia viſitat, mercatum inquirit, pretium ac merciũ in qualibet ciuitate copiam inueſtigat. Nos autem Chriſtiani, præſertim verò religioſi noſtram etiam habemus intentionem: extra namque dubium eſt, nos lege profeſſionis non adſtringi, niſi præhabita intentione. Reſpondete mihi, quis eſt ſcopus veſter, quis omnium finis actionum? *Reſpondete mihi quæ ſit deſtinatio veſtra, vel finis?* Reſpondent. Nemo vertit hoc in quæſtionem deſtinatio noſtra, finis noſter eſt regnum cœlorum. Optima reſpõſio, inquit Abbas Moyſes. Hanc igitur vobis præſcribo lectionem, vt viuatis ea ratione quâ illi, qui talia prætendunt: hunc vobis ſcopum quotidie ob mentis oculos ponite, quem ſi veraciter ac ſincerè cognoſcatis, ac intendatis, hic quid vobis ſit agendum apertè demonſtrabit, qualeſq; veſtras eſſe conueniat actiones. Ambire regnum cœlorum, & terrenis affici, ad regnum velle tendere cœlorũ, & viam ingredi perditionis, ſibi non correſpondent, non conueniunt. Ducis, quæſo, militum perpende actiones, cui ſcopus eſt regnum aliquod obtinere: nec ſomno parcit, nec labore fatigatur, nec periculo terretur, his per diem occupatur, de hoc noctibus ſomniat; dum tacet, hanc ſecum 11.
fouet voluntatem. Si ad perituri regni poſſeſſio Similitudo.
nem neutiquam dormiatur, tot bella inſtruantur, in tot pericula incurratur, tot edantur ſtratagemata: quâ non accuratâ operâ vobis vtendum; vt regni illius tandem ſitis poſſeſſores, quod nobis tot præclariſſimis epithetis S. pagina proponit eminentiſſimum. Hæc conſideratio Chriſtiano proponitur, vt primum fundamentum: *Accedentem ad Deum oportet credere: quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Pari paſſu procedunt, Deum eſſe, & quòd nos in hoc mundo creauerit, vt ei ſeruiamus vt hoc modo nos remuneret.

*Heb. c. 11. 6.*

" Hoc medio Deus vſus eſt, dum Abrahamo
" mandat, de terra ſua, quam incolebat, egre-
" deretur. Hoc opus, hic labor eſt; ducit illum
" in terram Chanaan plenã difficultatibus. Quò
" momentò illam ingreditur, ei apparet, ac pro-
" mittit. *Semini tuo dabo terram hanc.* Terra erat *Gen. 12. 7.*
" frugũ feraciſſima. Ne credideris, quod te eduxe-
" rim vt incognitus & obſcurus lateas, pereatq; tui
nominis

nominis memoria. Abſit. Tribulationes pertuliſti graues,ſunt & aliæ tibi ſuſtinendæ, verumtamen ſcito quod, *ſemini tuo dabo terram hanc.* Extemplo, *ædificauit ibi altare Domino.* Primum in ea regione erectum altare: cenſent autem quidam apud Cornelium,quod omnes familiares ſuos conuocauit, notos ac peregrinos, quibus Dei prædicauit magnalia, ſibique præſtitum beneficium. Vtinam hoc in te videamus, vt beneficiorum Dei memoriam ſeruares indelebilem, dum tibi proponit ac ſpondet terram illam cœleſtis gloriæ electis ſuis ſeruiſque præparatam. Hoc altare ædificauit Abraham in limitaneis agris terræ Chanaan. Primum; ait D. Chryſ. in gratiarum actionem. Secundum: in perpetuam promiſſi memoriam, eiuſque quod Deus illi condixerat, quo vehementius eum excitaret, eoque ſuas dirigeret actiones, quo poſteri ſui terram hanc poſſiderent, regni cœleſtis hyeroglyphicum, quod nobis propria diligentia promittitur acquirendum. D.Petr. hoc vocat: *Hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſſibilem conſeruatam in cœlis.* D. Paulus, *Regnum immobile.* Chriſtus: *gaudium Domini.* Non te fatigat,o Chriſtiane, noctes ducere inſomnes, vt tua fruaris voluptate; laboribus impenſiſque non parcis, quando diuitem ſperas obtinere hereditatē, & te cruciat vel minimus labor, Dei regnum intendentem? Non lucidis hoc oculis comtemplaris. *Oro Deum gloriæ,&c illuminatos oculos cordis veſtri,vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius,* &c.

1.Pet.1.4
Hebr.c.12
28.
Matt.25.
21.

☞ II

Perfectiſſime hoc executus eſt D.Paulus multa referens de quibus merito poſſet gloriari de iis quæ ſub cœlo ſunt, aut naturæ dotibus, de doctrina,de optima indole, de honore quo colebatur. (a) Porro *omnia arbitratus ſum,vt ſtercora:* in comparatione eius quod ambio, *ſequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto.* Cuncta ad tergum reiicio, & totis procurro viribus, vt nihil ſit quod me remoretur. Et quid hoc eſt? *In quo & comprehenſus ſum a Chriſto* D. Thom. tres dat expoſitiones; Harum vnam indicat D. Chryſoſt. Apoſtolum meminiſſe eius, quod ſibi in conuerſione ſua obtigerat, dum ſpirans cædis ac minarum, nedum a Chriſto fugeret,ſed & ipſum inſequeretur: deſcendit Chriſtus de cœlo, eique manus iniecit violentas. *Comprehenſus ſum a Chriſto,* quam ſincere? quam ſerio? quantis viribus? quod eum deiecerit, quod mutauerit,quod Apoſtolum creauerit. At quomodo? ſeipſum Paulo demonſtrans. *Quis es Domine? Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris.* Attende qua ratione illud exaggeret & explanet, *comprehendam & comprehenſus ſum,* ſuæ conuerſionis hiſtoria. *In quo & comprehenſus ſum,* ait D. Thom. *In illa gloria,qua mihi apparuit,* quando conuerſus ſum. Tunc quando, *Raptus eſt in tertium cœlum.* Non minus quam ad tertium rapiebatur cœlum, illamque ibidem intuebatur gloriam. Id quod vidi, ſcopus meus eſt ac finis,quem prætendo. *Sequor ſi quomodo comprehendam:* ad illum curro, ſicut qui fugit, vt comprehendam, quo ſignet affectum,ac diligentiam,qua finis ille prætendēdus. *Vnum autem,quæ retro ſunt obliuiſcens,ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Triplici ſenſu explicat, quoque D. Thom. hunc locum. Primus ſenſus eſt: q.d. *Proſequor vnum.* Omnium oblitus, ab omnibus oculos auertens, illos tantummodo defigo in prœmium,quod vnicum eſt, ad quod curro, *Vnum autem* hoc ſemper intueor. Vide qua ratione curiat. *Perſequor,extendens meipſum* Significat (interprete D.Chryſoſt.) affectum quo currit. *Hic enim extendere ſe dicitur, qui pedes,licet currentes reliquo corpore anteuertere ſtudet ſeque inclinat in anteriora, manuſque protendit, vt aliquando etiam plus ſpatii faciat.* Sic currendum viro Chriſtiano: ait D. Chryſoſtom. verumtamen quantum inter D. Paulum, & nos diſcrimen! *Quantum inter eūm, qui hoc modo currit & inter eum, qui iacet ſupinus intereſt, tantum inter Paulum & nos.* O pudor, o dolor! Currit D. Paulus,quia prœmium intuetur. O quale prœmium! *Brauium ſupernæ vocationis:* nos creauit,vocauit, tantus præparauit rex brauium tale,quo vt perfruamur miſit filium ſuum, dedit vitam, profudit ſanguinem, *in Chriſto Ieſu.* Num forte palmæ ramus: væ nobis, ait D. Chryſoſt. qui illud de longe intuemur, proinde paruum iudicamus. *Longinquitas facit, vt brauium appareat exiguum quodnam illud eſt? Non ramus palmæ,ſed regnum cœlorum,requies ſempiterna,clara cum Chriſto hereditas,fraternitas,innumerabilia bona,quæ verbis exponi non poſſunt. Palmæ illius pulcritudinem,explicari nefas eſt ſolus ille nouit,qui obtinet. Aurum præ illo, lutum eſt, lapides pretioſi præ illa pulchritudine, lateres ſunt.* Vidit hæc D.Paulus Illo dirigendi ſunt oculi. *Vnum autem,*vt vero hoc videamus, nobiſque Chriſtus explicet, ſubit in montem,ternos ſecum ducens Apoſtolos Petrum, Iacobum & Ioannem.

(a)
*De los tejados abajo.*
*Phil.3. v.8.*

D.Chr.
*Ho.11.*
*in Epiſt ad Phi.*
*Tom.4.*

III.
Quid ſit ſeipſum extendere

D.Chr

§. 5. In montem excelſum &c. *Vt bonis cæleſtibus perfruaris ſecede, & ſimilis eſto piſcibus, qui pennulas habent, quos Deus vt mundos habet.*

12 SI eam Chriſtus habeat intentionem oſtendendi gloriam ſuam, vt homines ad labores excitet alacriores, ad quid (inquies) reddit in montem altum ſegregatum ac ſoli arium; *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* An non expediuiſſet vt huic ſpectaculo frequentatiſſimam plateam Hieruſalem elegiſſet, & diem Paſchatis, aut feſti celebrioris, ad quod totus orbis gregatim conueniret. An non congruentior vrbs fuiſſet Capharnaum emporium ampliſſimum, quo multæ variæque hominum nationes mercatus ac negotiorum cauſa confluebant? mercator, qui polymita ſua, telas pretioſiſſimas vendere deſiderat, non eas exponit venales in deſerto ſolitario, ſed loca quærit maxime culta, ciuium multitudine inhabitata, Nauis ditiſſimis mercibus grauida, vela non contrahit, non iacit anchoram ad præcipitii pedem, nec ad glebam decortatam, ſed ſiſtit ad frequentiam populi, & numeroſum concurſum nationum. Loca hæc Chriſti propoſito minime conueniebant. Intendit cœli gloriam explicare, eiuſque vel exiguas delicias guſtandas proponere, ad hoc vero minime ille congruit locus, vbi ſuum habet mundus confabulatorium. Diſcrepant, quinimo & inimici ſunt iurati, ac contrariis incedunt viis cœlum & mundus. *In mundo regnat caro,* eiuſque deordinatus appetitus; in cœlo ſpiritus, res ſpirituales, proinde illas mundus nequaquam capit. *Animalis homo non percipit, quæ ſunt* 1. Cor. 2. 14. *ſpiritus Dei:* Dixit olim Chriſtus Iudæis, *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Commouentur, obiiciunt: Ioa. 8. 22. Quid hic vult dicere? quo hic iturus eſt, quo eum ſequi non poſſumus? Reſpondet Chriſtus. *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo.* Oppoſitam viam ingredimur; ego cœli, vos terræ, non conuenimus; ego ſpiritualis vos carnales, non conuenimus; ego ſurſum tendo, vos vt arbores terrenæ radices mittitis ad terræ inferiora, non conuenimus. Continua feruet inimicitia inter mundum eiuſque voluntates, cœleſteſque diuitias. *Amicus huius ſæculi ini-* Iac. 4. 4. *micus Dei conſtituitur.* Proinde tam longiſſime abſunt mundi dilectores a rerum cœleſtium ſuauiſſimo guſtu, vt hunc illis Chriſtus impoſſibilem ſtatuat, dum ſuis promittit Spiritum Sanctum conſolatorem: *Mittam vobis Paraclytum* Ioa. 14. 17 *&c. Quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum.* Aduentus eius capax non eſt, ſicut nec conſolationum diuinarum, eum nec ſcit, nec magnifacit, nec deguſtat. Quid tanti facit homo ſenſuum deliciis immerſus delicias ſpirituales, quibus Deus fidelem animam in oratione perfundit? Quid curat auarus terrenis arcarum ſuarum diuitiis inhians, bona cœleſtia, quibus anima diteſcit? Si Chriſtus aduenisset delicias promittens carnales opes auri & argenti, arua, cenſus, in hoc mundo honorum dignitates, vtique conueniret, vt loca ſeligeret celebriora, vrbes populoſas, vt vero cœleſtes aperiat theſauros, mundi tumultibus excedit, ad ſolitaria ſecedit loca: non enim cœli gaudiis perfunduntur niſi qui mundi tumultibus excedunt, nec illis Deus ſuas communicat delicias, niſi qui terrenas deſerunt vanitates.

Diuinam Moyſi attendite hiſtoriam. Soceri ſui paſcebat gregem in terra Madian; vir quippe erat diuitiarum abundantia clarus. Apparere illi vult Deus, ad ſui populique recreationem in figura rubi ardentis, at exſpectat donec terra Madian eiuſque confinibus egrediatus, imo & regiis viis, & gregem minet ad interiora deſerti loca ſecretiora. *Dum minaret gregem ad interiora deſerti.* Vidit cœleſte myſte- Exod 3. 1. rium, *Viſionem magnam.* Hic illi Deus fami- 1. liariter colloquitur, ſuum indicat nomen, appa- Solitudo ret manifeſtus, gratiam ſuam, ac diuinum pro- contem- mittit ſubſidium. Indubium eſt o Chriſtiane plationi Diuinum nequaquam tibi aderit ſubſidium, neceſſaria quamdiu potentiarum tuarum, ſenſuum, ac curarum greges duxeris, eos paſcens in terra Madian, id eſt, in mundo: Madian æternum *Lugens*, dicitur mundo proprium cognomen: redundat enim litibus, ac variis prætenſionibus; ſed hoc tibi conferet plurimum, ſi illos collegeris, & ad ſolitarium minaueris oratorium, ad angulum Eccleſiæ ſeiunctum, exiguo ſolitudinis tempore, ac ſæpius de mundi fugeris officina ferraria, cuius ferri ſolus ſtrepitus rerum cœleſtium obſtrepit recipiendæ conſolationi. *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus,* Pſ. 45. 11. *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Pſa. 33. 9. Pauliſper vacate vt Dei guſtetis ſuauitatem. Tu mercator conclude pauliſper tuorum computuum libros; & tu Legiſperite ſepone Bartholum & Baldum, tu quoque vir nobi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nobiliſſime dimitte palatii tui tumultus, ac famulorum ſtrepitum, ſecede, teipſum compone, mina gregem ad interiora deſerti. Ipſi ſic Philoſophi, vt ea meditentur, & inueſtigent, quæ terrenis ſubiacent oculis, aera, ſidera, planetas, populi fugiunt multitudinem, vrbium euitant tumultus, petunt auia, deſerta perambulant, amici ſolitudinis. Plato cæteris eminentior, cum orbem peragraſſet, remotiſſimas luſtraſſet regiones quas refert D. Hieronym. & philoſophiæ dogmata cum iis contuliſſet quos nouerat bonarum literarum doctrina longè præſtantiſſimos. Tandem Athenas appulit; vt vero de aliquibus philoſophiæ diſputaret axiomatibus foras extra ciuitatem egreſſus, emit à viro quodam cui nomen Academus hortum inter arborum condenſa, conſitum; huc ſolitarius ſeceſſit, vnde nomen ſumpſit, Academia locus ſolitarius hominibus invius ſolis arboribus frequentatus.

*Lib. 3. Offic.* De ſe refert Cicero egreſſum ſe Roma fuiſſe vt intellectum ſuum ad contemplanda Philoſophiæ dogmata præpararet. Heſiodus contemporaneus Homero, inter Poetas laureatus quem antiquitas veneratur, cum propter raros ſublimeſque eius conceptus tum quod ſe maris fluctibus immerſerit, quem ſubmerſum delphini, quaſi quibuſdam ſui corporis humeris attollentes, eiecerunt ad Promontorium fluuio vicinum Neolyciæ in Ætolia, de ſe narrat, quod illi Muſæ poeſim in monte Helicon inſpirarint, cum totus eſſet ſolitarius, ab hominum conſuetudine remotus, gregi paſcendo occupatus.

Dum Euripides, quem orbis totus miratur, jam eſſet defunctus, difficillima orta eſt de corpore eius quæſtio inter Athenienſes patriotas, & Regem Macedoniæ. Archelaus de ſe memorat, quod vt elegantiſſimas illas conſcriberet tragœdias, ſeu fabulas, inſulam petiit Salamiam, ac in profundum ſpelæum, ac ſolitarium ſeſe abdidit hominibus incognitus, Etiam ipſe Horatius homo licet ad veneris delicias procliuis, de ſe fatetur: quod Romæ commoratus, nullum poſſet verſum, ſuo dignum ingenio compingere. Si vero hoc ita ſit in iis qui terreni erant, quorum mens & diſputatio terrea, quanto fortiùs obligaris, vt te vel minima temporis mora mundi huius eripias tumultibus, eiuſque confabulatorio, quo diſtinctius, quo clarius cœleſtia poſſis meditari, cognoſcere, perſcrutari.

Ad hujus confirmationem profero vobis D. Chryſoſt. Quem ſequitur D. Cyrill. Alexand. vbi dilucidè probatur, dona cœleſteſque delias in hac mundi Babylonia minimè poſſe deguſtari, quinimò & ipſi Iſraelitæ Babylonica preſſi ſeruitute, locum illum minus idoneum cenſuerunt cantandis, audiendiſque Dei ſuauiſſimis canticis, ac melodiis: quocirca ita illos quaſi admirabundos audis interrogantes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.* Ita patebit, inquit D. Cyrill. qui diuinis exultant conſolationibus, doniſque recreantur cœleſtibus, eos eſſe, qui mundo valedicentes, deſerta petunt, ſolitaria loca quærunt amica contemplationi.

*Homil. de militia Christian. Tom. 5. Lib. 1. de ad orat. Pſ. 136. 4*

13 Vt Deus Abrahamum magnificis ſolaretur promiſſis, eduxit eum primum de terra ſua, cui ait: *Egredere de terra tua & de cognatione tua &c.* Deinde etiam domo ſua in campum foras eduxit, cui adhoc mandat; *Et ait illi: ſuſpice cœlum.* In monte quoque ſolitario ac ſecreto, vbi nullus viuentium oculus eum poſſet intueri, apparet illi, promittitque proprium dare filium: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Dum Moyſes montem aſcendit ab hominum conſortio maximè remotum, oſtendit illi gloriam ſuam, donum maximum: licet autem Moyſes adeo longè diſiunctus eſſet ab hominum multitudine, turbaque plebis, cum Deus nihilominus longiùs adhuc abſtraxit, montem nube contegens denſiſſima, vt eum ne quidem, lyncei oculi videre potuiſſent. Elias turbam deſerens tumultuantem, ſecedit in tam profunda deſerta vt quadraginta diebus illis oberrauerit errabundus, apparet illi Deus, profugum ſolatur, laſſum recreat, cœleſti illa, qua Deus apparebat viſione. Eliſeus montem incolebat Carmelum, vbi cœleſtibus donis fruebatur. Propheta Ezechiel (teſte D. Chryſ.) ſecedens Babylonia ſolitudines fluminis Chobar frequentabat: *Et vidit viſiones Dei.* Et Daniel deſerta fluminis. *Quoties enim Deus, nonnihil explicaturus famulis ſuis, & extra vrbem, tumultumque hominum ducit, & in loco tranquillo conſtituit, quo nullis rebus, quæ ſe aut oculis, aut auribus offerant, animus interpelletur, ſed liber omnino ac otioſus vacet, eorum, quæ diuinitus aperiuntur, contemplatione.* Hoc quoque, inquit D. Cyrill. indicauit David his verbis: *Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.* Terræ Deos vocat fortes, robuſtos, præclariores ſanctos, quibus Deus ſuæ ſpeciem oſtendit gloriæ ac maieſtatis, vt Moyſi, cui ait: *Conſtitui te Deum Pharaonis*, Sanctis Pontificibus, Sacerdotibus, ac Prophetis, quos idem David nominat Deos.

*Gen. 12. 1. Gen. 15. 5. Gen. 22. 16. Exod. 19. 3. Reg. 19. 4. Reg. 4. Ezech. 1. 1. D. CHR. De incomprehen. Dei nat. Tom. 5. Dom. 6. 10. Pſ. 46. 10. Exod. 7. 1.*

*Pſ. 81. 6.* *Ego dixi Dij eſtis* : Sunt autem hi Dii fortes terræ, robuſti, qui meritis ſuis ac interceſſione mundum valent ſuſtinere : Illi (inquit) *vehementer eleuati ſunt* : diuinis donis ac fauoribus de terra, ſed nec parum, at vehementer eleuati his perfruuntur. Sunt, aſſerit Iob illæ ſublimes aquilæ, *Iob 39.27* de quibus ſic Deus : *Eleuabitur aquila, & in arduu ponet nidum ſuum, &c. inde contemplatur eſcam* : Sunt illi, quos Deus delineat per Iſaiam : *Iſai. 33. 16.* *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius &c. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Quòd ſi obiicias inquit D. Chryſoſt. *Hom. cit. de milit. Chry.* Hæc monachis atque Anachoretis conuenire qui ſe mundi tumultibus ſubtrahunt, nec tibi hoc poſſibile, qui in ipſis mundi ſedes viſceribus. Reſpondeo tibi (ait) nec tantum quidem à te expoſtulo, hoc quoque tibi indulgeo, quòd te mundi omnino non poſſis ſubducere vanitatibus: hoc nihilominus adſtruo, quòd ſi cœleſti appetis frui conſolatione, oportet ac neceſſe eſt, te aliquantiſper ſubtrahas, ſolitudinem petas, ad oratorium tuum ſolitarius ſecedas. Aſcendere non valet Lot montis cacumen, mulieris, ac iuniorum filiarum onere prægrauatus præſcribit illi Deus à ſiſtat in medio montis aſcenſu: ciuitate Segor aliquantulum diſtante à Sodomis vrbe maledicta, vbi nec audiat, illud, quo concremabatur vrbs, infelix incendium.

*Hom. 31. in Euang. ad fin.* Ad hoc facit, quod expendit D. Greg. quo Deus olim ſtudio Moyſen præuenerit, catalogum ei præſcribens animalium, auium, piſcium, quibus populus veſceretur. His & illis veſceris carnibus, ſanæ quippe ſunt & mundæ illis vero ac iſtis, nequaquam, immundæ enim ſunt & inſalubres. Nominatim autem eum de piſcibus commonefacit. Quando piſces aduehentur inſpice, vtrum habeant pinnulas, necne, ſi habeant, audacter comede, ſalubres ſunt, ſi minimè, ne per vitam tuam eos comederis, immundi enim ſunt coram me & execrandi : *Omne quod habet pinnulas & ſquamas, &c. comedetis : quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet eorum* *Leu. 11.9.* *quæ in aquis mouentur, & viuunt, abominabile vobis, execrandumque erit.* Hanc Dei mirantur viri ſancti ſolicitudinem. O cœlorum Domine, num forte medicinam profiteris, vel medici tibi attrahis officium ? Quid refert piſces habere pinnulas, nec ne? Et quid ad hoc vt cenſeantur, mundi, vel immundi. Myſterium eſt, reſpondent: non enim hoc tanto Deus ſtudio curaret niſi quoddam lateret myſterium, quod exponunt D. Auguſt. *a* D. Cyrill. *b* & particulariter Angelicus Doctor noſter. *c* His voluit Deus (inquit D. Gregor. *d*) piſcibus homines illos indicare; qui eius ſatisfaciunt voluntati, eiuſque diuinæ menſæ ſunt gratiſſima fercula, ſpiritu mundiſſimi : illos quoque, qui tales non ſunt, ſed immundi, ſed reiiciendi. Hoc intereſt diſcriminis inter alatos piſces, & non alatos, quod illi, licet verum ſit, quod communiter ſuper aquas repant, ac de iis quæ aquæ deferunt, ſumant alimentum, quandoque tamen quoſdam extra aquas edunt ſaltus in aera. Vt muſcas per aera volantes, ac cyniphes capiant : quos non ſaltus edunt trutæ, & barbi in aera? quinimo & ipſi delphini ſæpius toto ſe efferunt corpore ſuper aquas. Qui verò pinnulas non habent, continuò aquarum ſordibus ac luto immerguntur, numquam emergunt ad altiora: vt anguillæ & aliæ piſcium ſerpentum ſpecies. *Piſces quippe qui pinnulas ſquamarum habent, dare etiam ſaltus ſuper aquas ſolent, &c.* ait D. Gregor. Porrò ſunt in hoc mundo homines, vt piſces in mari. *Facies homines velut piſces maris.*

*a L. contra Adimant. Manich. cap. 15 & L. 6. cont. Fauſt. c. 7*
*b L. 14. de adorat. in ſpiritu.*
*c 1. 2. q. 102. a. 6. ad 1.*
*d Vt ſupr.*
*D. Gre. Hom. 30. in Euang. ad fin.*

*Habac. 1. 14.* Munde ô mare, quot abundas piſcibus? *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus.* *Pſal. 103. 23.* Piſces video, qui numquam ſuper aquas efferuntur ſed ſemper illis immerguntur, eſtque eorum centrum ac habitatio in volutabro luti, homines ita terrenis his infixi ac immerſi, aquis amariſſimis & præterfluentibus, huc illucque ventis agitati, vt maris fluctus vagos incertoſque longè ſuperent : homines, qui numquam mentem, animum, curaſque his fluctibus efferant ſuperiores: hic eorum cura, ſtudiumque comprehenditur, in bonis, in cenſibus, in lucro, in honore, in deliciis, in voluptatibus carnalibus; infelices, quos vt reprobos Deus condemnat. Porro contemplor alios, qui licet communiter aquis innatent, aliquoties tamen illis ſuper efferuntur, aliquando ad ſecretum ſecedunt angulum, quaſi qui de mundo diſcedant, aliquando ad mentis interiora reflectuntur, Danielem imitantur, qui captiuus in meditullio Babyloniæ, tribus per diem vicibus ſe ad orationem ſolitarius recipiebat, apertis feneſtris verſus Hieruſalem. Perpendunt illi, quis ſit Deus, quæ ſibi à Deo conceſſa beneficia, quam dignus ſit, cui toto corde ſeruiamus: quàm vilia, quam nullius ſubſtantiæ, vitæ præſentis pretioſiſſima quæque, qua ratione inſtar venti euaneſcant, quænam illa bona quæ Deus ſe diligentibus præparauit, quales diuitiæ quas modo Sancti in ſuperna illa gloria poſſident, quibus ſine vllo afflictionis veſtigio perfruuntur,

quæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quæ ſalus ſine vlla infirmitate tam ſecura, quæ vita ſine mortis memoria tam diuturna, quàm breui momentanei labores finientur, quibus requies ſuccedet ſempiterna. Eia igitur anima Chriſtiana: *Conſurge, conſurge: excutere de puluere, conſurge.* Iſa. 52. 1.

§. 6. Transfiguratus eſt &c. *In oratione, Chriſtus transfiguratur, hæc tibi figuram præſtabit meliorem.*

Aſcendit Chriſtus vt ſpeciem ſuæ oſtenderet gloriæ, proinde hoc egit, vt in
14 montis cacumine conſiſtens, ſe daret orationi:
Luc. 9. 29. *Et cum oraſſet*, ait D. Lucas: *Facta eſt ſpecies vultus eius altera.* Placeret hic paululum ſiſtere, vt de orationis ageremus virtute. O quàm efficax vt te mutet in virum alterum tuaſque inuertat qualitates. Qualis Saulus, ipſo equo ſuo animoſior ac ſæuior in Chriſtum eiuſque diſcipulos, tanto mentis ardore, vt fortiſſimi quibuſque metum incuteret. Vocat Deus Ananiam, atque: curre, feſtina, quære Saulum. O Domine, & hoc mihi præcipis? An non ille leo carniuorus, tygris crudeliſſima in te tuoſque alumnos? Vade ſecurus eſto, jam mutatus, jam eſt transfiguratus & ouem inuenies mitiorem, & qui vas erat furore ac rabie ſupereffluens, mutatus eſt in
Act. 9. 11. vas gratiæ & electionis. Quis huius auctor mutationis Domine? *Ecce enim orat*, hæc eum oratio transfigurat; hæc te quoque transmutabit, ex luxurioſo caſtum efficiet, ex ſuperbo humilem, cœleſtem ex terreno. Vtinam vel paululum impenderes orationi, ſurſum tuas dirigeres cogitationes, ſurſum corda, te Dei ſiſteres conſpectui, eius celſitudinem, maieſtatem, bonitatem infinitam, accepta beneficia, debitam gratitudinem, mundi vanitatem, vitæque reuolueres breuitatem, quàm longè alius ex oratione prouenires.

Sublimem cenſuerunt Græci D. Pauli philoſophiam his verbis comprehenſam: *Nos autem*
2. Cor. 3. 18. *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur.* Notant eorum
Orat. in illud Tunc ipſe filius. aliqui verbum *ſpeculantes* in Græco haberi *inſpeculantes*, vt aduertit D. Gregor. Nyſſen. verbum rarum, prudenti compoſitum conſilio, ad cœleſtium myſteriorum declarationem, ſignificat autem, *ad modum ſpeculi reſpicientes.* Sumitur à ſpeculo metaphora, quod ſolis radiis expoſitum, illos ita ad viuum in ſe recipit, vt ſolis figuram præ ſe ferat, ſic vt in ſolem ipſum mutatum eſſe videatur. Hoc nos (inquit Apoſtolus) agimus. Nos ipſos vt ſpecula, Dei conſpectui opponimus ſolis cœleſtis, cuius conſideramus celſitudinem, maieſtatem, bonitatem, ac gloriam, inde concipit anima noſtra eſſe quoddam diuinum, vt in Deum ipſum transfigurata eſſe videatur. Tangit hic Apoſtolus hiſtoriam Moyſi qui cum eſſet in monte Dei conſpectui expoſitus, ſolis ſplendidiſſimi, in facie eius, tanquam in ſpeculo eo modo diuini recipiebantur radii, vt totus ſol tam lucidus appareret, vt eum humanus oculus nequiret intueri, eſſetque omnino neceſſarium, vt velo Moyſi facies contegeretur alioquin non conſpicienda. Hinc in vitis Sanctorum legimus, quòd multoties in oratione, & per illam, ſplendidi inſtar ſolis apparerent. Ita facies olim apparuit D. Stephani ſtantis inter Scribas & Phariſæos: *Videbant enim faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Talis & viſa eſt D. Petri Act. 6. 15.
facies dum cruce pendulus moreretur. Seraphim etiamnum ille terrenus D. Franciſcus viſus eſt à fratribus vt flammeo ſubuectus curru per aera.

D. Dominicus tantam ſæpe numero lucem vultu ſuo emittebat, vt eum oculi mortalium fixa acie non poſſent intueri, D. Vincent. Ferrarius aliquoties tanta perfundebatur luce, vt noctibus mediis eius cubiculum illa tantopere illuſtraretur, vt lucem crederes meridianam, prout heri diximus. Hic orationis & cum Deo communicationis laudatur effectus & ſicut immiſſum fornaci ferrum, in ignem transformatur, ſic per orationem homini eſſe quoddam diuinum communicatur, & cœleſtes imbibit qualitates.
Orante Chriſto in principio quando ſe mundo Luc. 3. 21.
manifeſtauit, teſte D. Luca Euangeliſta: *Apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus S. corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Etenim in oratione nobis cœli reſerantur, & in animam noſtram bona illabuntur cœleſtia, quinimo & ipſæ tres Diuinæ perſonæ. Modo vero orans transfiguratur & in figura glorioſa manifeſtus apparet: quidam aſſerunt SS. Doctores hæc de nocte contigiſſe: pro more enim ſuo Chriſtus noctibus oraturus ſecedebat, & orationi intentus in multam lucem perorabat: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Opinatur D. Chryſ. Lu. 6. 12.
Media luce contigiſſe, & idem ſenſerat antiquus D. Ephrem, cui conſentit D. Baſil. Seleucus Epiſcopus, vt diſcrimen oſtenderet claritatis corporis ſui, a ſolis claritate, cuius ſplendor coram hoc Chriſti fulgore, tenebræ cenſerentur. Hom. 57. in Matt. Hom. de transfiguratione.

*Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* In S. Scriptura illud album dicitur, quod ſplendet, ſplendor enim ex abundantia lucis naſcitur; & inter colores, color albus plus cæteris eſt receptiuus lucis, proinde indicat, quod Chriſti vultus vt ſol ſplenduerit, veſtimenta autem eius fuerunt alba & ſplendida
*Luc.9.29.* quod alius dicit. Euangeliſta: *Veſtitus ejus albus ac refulgens.*

## §. 7. *Chriſtus ſe transfigurat, ſuarum demonſtrans radium diuitiarum, ſed ſub humanitate abſconditarum.*

15 HOc myſterium paucis enodemus: Publico hoc omnes approbant ſuffragio, quod cum in omnibus Chriſtus eluceat admirabilis, in cogitationibus, verbis, operibus, vita, miraculis, paſſione, morte, reſurrectione, aſcenſione, ac proinde eiuſdem, epithetum, ac cognomen, quocumque eum modo conſideres, futurum prædicit: admirabilis: *Vocabitur autem nomen*
*Iſ.9.6.48* *eius admirabilis*: attamen ſingulari quodam modo in ſua dicitur conceptione admirabilis; ita planis apertiſque verbis fatebatur Angelus Gabriel, qui præ cæteris huius myſterii præcelluit cognitione, vtique inter cœleſtes ſpiritus electus, huius myſterii Annuntiator ad virginem Mariam. Dum enim cœlorum regina de myſterio inquirit. *Quomodo fiet iſtud*: eam ad ſpiritum
*Luc.1.35.* S. remittit *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* Quo
*3.p.q.30.* declarat interprete D. Maximo apud D. Thom.
*a.2. ad 3.* ſe huius myſterii non capere celſitudinem: quod ſic eſſe credimus: in hoc quippe myſterio coniunxit Deus duo maximè inter ſe diſſita, quæ cum eſſent talia, vnum alterum non conſumebat, quinimo potius, vnum alterum contegebat. Hæc autem fuerunt, Diuinitas ignis conſumens:
*Deut.c.4.24.* *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Et humanitas palea & fœnum: *Omnis caro fœnum*: Quæ con-
*Iſ.c.40.6.* iunctio ignis ac paleæ? Vbi ignis ſuo intenſiſſimus ardore, paleam omnino inuadens illam non conſumat, ſicut nec in rubo Moyſi, quin potius flamma eius, ac ſplendor, palea conteguntur.
*1.Ioan. c.1.ſ.5.* *Deus lux eſt.* Homo vero vmbra: *Fugit velut*
*Iob.c.14.2* *vmbra.* Coniunguntur ſol & vmbra, nec vmbra deficit, quinimò contegit vmbræ obſcuritas, ſolis claritatem. O admirabile myſterium.

Prædixit Vates Iſaias de Filio Dei, quod in
*Iſ.c.32.1.* aduentu eius cuncta laterent abſcondita: *Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & erit quaſi vir abſcondens ſermones ſuos.* Ita legunt Septuaginta *Sermo* in S. Scriptura, ſignificat non ſolummodo verbum ſed etiam, rem. Vt dixit Chriſtus diabolo: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo &c.* q.d.
*I. Cur Chriſtus dicatur eſſe Deus abſconditus. Matt.4.4.q.d.* Non eſt Deus alligatus pani, vt hominem ſuſtentet, ſed qualibet re voluerit, poterit illum enutrire. Deinde ſignificare vult Propheta, vt aduertit D. Hieron. q.d. Vos præmoneo, adueniet Rex, rerum ſuarum ingens abſconditor, ſecum aduehet quidquid boni, diuitiarum, excellentiæ, celſitudinis ac poteſtatis habet: attamen hæc omnia abſcondet. Hoc egit in ſuæ myſterio Incarnationis. Secum omnes ſuas contulit diuitias, ſpiritum ſuum in carne noſtra gloriam ſuam, in doloribus noſtris, in noſtra paupertate, diuitias; in noſtra temporalitate, ſuam æternitatem; in noſtra exiguitate, ſuam celſitudinem ſuam omnipotentiam, in noſtra nulli potentia, ſuam fortitudinem, in noſtra infirmitate; proinde hac de cauſa eam attentè conſiderans idem
*Iſ.45.15.* Propheta, ait: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus*
*Co.c.1.26* *Iſrael Saluator.* O latens myſterium! *Myſterium abſconditum à ſæculis.* Num quis vnquam diues tantis opulentus diuitiis? Num quis vnquam rex tali omnipotentia potentiſſimus? Num quis vnquam Deus veriori Deus diuinitate? Num quis eminentiori gloria ſublimior? Ex altera parte, num quis illo pauperior, qui vbi caput ſuum reclinaret non habebat? Num quis mortalium, morte hinc diſceſſit dolorifiore? quis illo pœnis afflictior? Hoc Chriſti myſterium veneramur, interius, omnem cœli credimus gloriam, exterius omnes mundi dolores; interius omnes ſtupemus diuinitatis diuitias, exterius extremam paupertatem, interius totam cotam colimus Dei beatitudinem, exterius totam hominis mortalitatem. Hoc erat illi familiare. Hoc autem quod hodie agit admiramur, permittit enim vt foras prodeat iſta gloria quæ latebat intus abſcondita, & ſicut qui ſoluit aquarum retinacula, ſeu cataractas, quibus ſuſpenſæ detinebantur ne defluerent, ita modo locum cedit, vt ex anima in corpus defluat ſplendor maieſtatis, aperteque talis videatur, qualem nobis deſcribit Euangeliſta.

Huius myſterii vel punctum olim Deus Iob
*II. Allegoria* expoſuit admirabili prorſus hieroglyphico, illi propoſito dicens: quod die quadam totum vellet mare colligere in vnum illudque pannis inuoluere, eo planè modo quo puſio faſciolis inuoluitur, ac tam ſtrictis illud nodis conſtringeret, vt tota maris vnda, licet immenſa, ne gutta quidem vel vnica dilabente, panniculis illis com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illis comprehenderetur; cum verò his panniculis tota aquarum immenſitas comprehenderetur, illi nihilominùs, & viderentur & eſſent adeo ſicci, quaſi ne vel aquæ guttula illis ob-

Iob c.38.6 uolueretur. *Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, &c. & caligine illud, quaſi pannis infantiæ obuoluerem? &c.* Quid illo mirabili mirabilius? An tibi ſit poſſibile vel vrnam aquæ linteo inuoluere: eamque ita ſtrictim ſeruare, vt ne vel minima gutta deſpumet, ſed & ipſum linteum maneat ab omni humore ſiccum? quàm igitur difficilius multo foret vnius fluminis aquas colligere, eaſque exiguo concludere panniculo? Et quod omnes excedit & vires & fidem, totum Oceanum? Hoc diuinæ fuit opus omnipotentiæ. Mare, ipſa diuinitas, mare, abyſſus, infinitæ ſubſtantiæ pelagus, diuitiarum, omnipotentiæ, gloriæ, ac fortitudinis Oceanus. Totum hoc immenſum

Ioan. c.8. 22. obuoluit noſtræ pannis humanitatis. *Verbum caro factum eſt.* Viden' puerulum illum? iſtam exiguitatem? Illud corpuſculum? Noueris, ait

Coloſ.2.91 D. Paul. quod *In eo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* At tanto prodigio, vt cum poſſideat anima totam beatitudinem, cœleſtemque gloriam, & in illo corpuſculo totum concludat diuinæ immenſitatis Oceanum, in illis tamen corporis faſciolis ne gutta quidem appareat huius gloriæ, diuitiarum ac Dei celſitudinis: quinimò, doloribus, ſiti, fame, cæteriſque corporis ærumnis oppleatur. Hoc autem hodie concedit, vt quaſi per huius panni poros effluat gutta quædam illius maieſtatis, illius gloriæ minimus atomus, quo D. Petrus ita ſibi pleniſſimè credidit ſatisfactum, vt amplius nihil ſibi deſiderandum poſſe, ſupereſſe iudicaret.

§. 8. Reſplenduit &c. *Conceſſit Chriſtus in carnem ſuam deſluere Diuinitatis ſuæ ſplendorem, quaſi qui cortinas arcæ contraheret.*

☞ 16 L. 16. de Interpel. lat. IN hanc ſententinm declinat D. Ambr. quod nobis Iob huius profundiſſimæ Theologiæ propoſuerit articulum, idque verbis profundiſſimis, quæ D. Ambroſ. cenſet propheriam admirandam, quibus hic S. Patriarcha declarare

Iob. c.9 uoluit myſterium Incarnationis: *Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur, qui præcipit ſoli & non oritur, & ſtellas claudit, quaſi ſub ſignaculo.* Ecce Myſterium Incarnationis; commouêre de loco ſuo terram, cœleſtes concutere columnas, ſoli præcipere ne oriatur; & ſtellas ita occultare, vt velut ſub ſignaculo concluſæ eſſe videantur. Locus terræ infimus eſt, imò ipſum centrum quare & ipſa reliquis eſt inferior elementis. Rapit eam Deus, & ad cœli ſuſtollit altiora. *Qui commouet terram de loco ſuo.* Terra noſtra eſt humana natura, de ſe infima, vilis & creaturarum omnium miſerrima: illam rapit Deus, & ad cœli tollit altiſſima, ad ipſam Dei celſitudinem illam vniens verbi Domini hypoſtaſi: *Quò altius euehi non poteſt*, adſtruit D. Auguſt. & illa quidem noſtra D. Aug. humanitas, quæ ex ſe ad ima deſcendere de- Tom. 7. buerat, proprio ſibi ſuppoſito innixa, aſſumitur, Li. de præ- extollitur, vt diuino verbi ſuppoſito inhæreat, deſt. Sanct. & ad ſupremam celſitudinem euehatur. Hoc Dei tanto miraculo cœli concutiuntur colũnæ, ipſimet Angeli perterrentur, dilucidè hoc Gabriel Angelus virgini Matri declarauit, dum illi ait: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Luc. 1.31 *Et filius Altiſſimi vocabitur.* Viſceribus tuis, ac ſinu virginali, concipies filium, cœlorum Domina, in quo humanæ naturæ humilitas euchetur, & filij Dei celſitudini vnietur. Opus autem hoc erit tale, vt cæteris abſconditum ſit Angelis, ſoli Spiritui S. vt eiuſdem auctori, reſeruatum. Sublata ad cœlum, terra, cœleſtes, diuinaſque adipiſcitur qualitates, eſſe diuinum, diuinam ſubſiſtentiam: ſolem habuit, ac ſtellas, eleuatâ etenim humanitate ad verbi æterni ſubſiſtentiam, naturaliter iam conſequebatur gloria, ac in anima beatitudo, ſimulque dotes ſupernaturales. Nec hoc tacuit D. Ioannes vt notat D. Chryſ. *Verbum caro factum eſt, &c. & vidi-* Ioan. 1.14 *mus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Dum filius Dei homo factus eſt, factus eſt & homo filius Dei, proinde eum conſequitur plenitudo gratiæ ac veritatis. Porrò præcepit Deus ſoli ne oriatur, & ſtellis vt abſcondantur & quaſi ſub ſigillo concludantur: *Qui præcipit ſoli, & non oritur, & ſtellas claudit, &c.* Hoc eſt, vt ſoli iſte gloriæ in anima deliteſceret, nec foras in corpus erumperet concluſus ac contectus noſtræ mortalitatis ac paſſibilitatis velo: ac ſtellæ iſtæ, dotes animæ exteriùs non apparerent nec in corpore viderentur: vnde Chriſtus ſic vixit in hoc mundo, vt nec radij ſolis gloriæ ſuæ proſilirent, nec dotium animæ claritas effulgeret. Hodie verò ſoli locum ac facultatem concedit, vt ſerenus oriatur, claritatis ſuæ radios emittat adeo fulgidos, vt ex illis: *Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta, &c.* Applaudite myſterio.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

17 Aliâ quoque huius myſterij figura, nobis Deus præluſit in fabrica loci Sancta Sãctorum, quam Deus ita ſibi diſponendam arrogauit, ob multitudinem ſacramentorum, quibus abundubat, vt nullius mortalium hoc fiderit ingenio, nec quidem intellectui cœlitum, ſed ſoli ſuæ ſapientiæ. Ille ipſe eam delineauit, ipſe propria manu deſcripſit exemplar, ad eius conſtructionem duos ſuâ diuinâ omnipotentiâ elegit officiales ſapientia ſupernaturali imbutos *Ad faciendum opera abietarij, pammitarij*. Beſeleel & Ooliab: hoc autem opus ad quod eos elegit erat: *Sancta Sanctorum*. Hebræi vocant: *Sanctitas Sanctitatum*. Locus enim erat ſupremæ conueniens ſanctitati, quæ Deo propria eſt, vbi ſingulari quodam modo ipſe appareret in arca auro obryzo contecta, ac in ſacroſancto propitiatorio, nimirum tabula ex auro primo, mundo, & ſplẽdido, vt ignitus carbunculus eſſe videretur. Præcipit inſuper diuino conſilio, vt velum texeretur, ex hyacintho, cocco bis tincto, purpura, & byſſo mira varietate intertextum: *Opere artificis doctiſſimi facies illud picturis*. Erat autem velum illud pretioſiſſimum & cæteris partibus, quibus tabernaculum tam multitudine, quàm excellentia radiabat, ex Dei præcepto conſtructis, longius eminebat. Vnde à D. Chryſoſt. vocatur: *Valde pretioſiſſimum*. Hoc velo tegebatur locus *Sancta Sanctorum*: At vero mandauit velum illud fluidum fieri ſuſpenſum inter diuerſas columnas ex Setim ligna incorruptibili, vnciuis innexum: quia licet communiter, & quaſi ſemper locus ille *Sancta Sanctorum* hoc velo contegeretur, voluit tamen vt quandoq; e hæc cortina ſeu velum contraheretur, quo propitiatorij ſplendor, ac maieſtas & gloria arcæ fœderis deforis hominibus appareret, ad ſuorum ſolamen amicorum, Magnis ſcatet hæc fabrica ſacramentis, (vt aſſerit D. Cyril Alex.) tamq; viuum & clarum eorum eſt hieroglyphicum, quæ Deus eſſet operaturus, vt multa non indigeat intellectus ſpeculatione, ad ſui cognitionem. Omnes fatentur, quod *Sancta Sanctorum*, ſeu *Sanctitas Sanctitatum* ſignificabat Chriſti diuinitatem, diuinam perſonam, fontem & omnis principium ſanctitatis. Velum, apertè ſatis declarat Apoſtolus Chriſti puriſſimam carnem, ac ſanctiſſimam humanitatem *Per velamen, id eſt, carnem ſuam*. O quale velum artifice illo Diuino Spiritu ſancto contextum, ex puriori ſanguine virginis, quæ cœlum, ſolemque puritate ſuperabat! Velum intertextum mille abietariis, polymitariis ac plumariis, tot, quot Deus habet, gratis, donis, & cœleſtibus ſplendoribus elaboratum. Hoc carnis velo Diuinæ perſonæ Sanctuarium tegebatur abſconditum. Ita explicat D. Ioannes, primo ſanctuarij proponit maieſtatem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.* Statim autem appendit velum quo tegatur: *Et Verbum caro factum eſt, &c.* Ita vt ſub illo velamine, occulta tegeretur, gloria maieſtatis, celſitudo, ſplendorque Diuinitatis, ac eius animæ ſanctiſſima beatitudo: ita præcinuerat vates Iſaias, quòd eum & cognoſcerent, ac indicarent, quotquot eſſent conſpecturi. *Te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantummodo in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator.* At vero mirabili diſponit ingenio, vt velum illud ſit fluidum, quod aliquando contrahatur, & ad amicorum ſuorum ſolamen concedatur, vt eius pulchritudinis ac rutilantis maieſtatis radius quidam appareat, ad hodierni myſterij dilucidationem: expediebat enim vt Chriſtus infirmitatis, ac paſſibilitatis corporis contraheret cortinam, ac radius quidam gloriæ in eius animâ interius abſconditæ deforis eluceret, oculoſque perſtringeret amicorum, quo viderent quâ Chriſtus intus gloria frueretur, in diuinæ ſuæ perſonæ teſtimonium, quodque talis eſſet, quam ſuis ſequacibus promittebat. Hoc hodie legimus, quod *Reſplenduit facies eius ſicut ſol veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* q. d. Vocaui vos, *Sequere me*: Vobis prædixi, quòd me præcedentem, & viam crucis, laborum, ac ærumnarum ingredientem, per eandem viam ſequeremini: Ne timeatis triſtem ac aduerſam fore ſortem veſtram, licet enim pauper, abiectus ac mortalis ſim, diuitias tamen ac gloriam tantam poſſideo, qualem videtis, iis qui me præeuntem ſequuntur deſtinatam ac ab æterno præparatam.

Exod. 31. 36.
Exod. 2. 26. 31.
D. Chr. Tom. 3. Hom. 2. de cruce & latr.
Lib. 10. de adorat.
Heb. 10. 20.
In Ioan. 1. 1.
Iſai. c. 45. 15.

## §. 9. Transfiguratus eſt. *Transfigurauit ſe Chriſtus tranſiens de figura matris ad figuram Patris.*

PRo vetere mea conſuetudine myſterium hoc explico conformiter doctrinæ D. Auguſt. ac Chryſoſt. Transfigurari propriè 18
ſignificat, tranſire de vna figura ad aliam. Ob hoc Satan ait D. Paulus *Transfigurat ſe in Angelum lucis*. Hoc eſt, inuertit ac murat figuram ſuã, quæ cum ſit Angeli tenebrarũ, aſſumit eam,

2. Cor. 11. 14.

quæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quæ propria eſt Angelo lucis. Hoc ſuppoſito, Chriſtum transfigurari nihil aliud eſt, quam tranſire de vna figura ad aliam: intellige Chriſtum habere duas figuras, vnam Patris, Matris alteram. Æternus Pater ante cœli creationem, terræ, Angelorum aliarumq; creaturarum productionem ab æterno ſuiipſius produxit figuram ſui Diuini intellectus penicillo ſibi proponens, vt exemplar diuinam ſuam eſſentiam. Hæc figura, Verbum eſt æternum, quod D. Paul. eo modo depingit: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, ac figura ſubſtantiæ eius.* Papæ, quales metaphoræ? Splen-
Heb. c. 1. 3
dor Chriſtus paternæ gloriæ. Sumit, ait D. Aug.
Serm. 190 de temp.
metaphoram à ſole, qua propter ne imagineris neue dicas: quòd ſi pater eum generet ſeu producat, ex ſe, debet pater eſſe prior: quia ſol de ſeipſo producit, gignit, & emittit lucis radium; ſed nec ob hoc eſt luce prior: quia tam ſenex eſt radius ſplendoris ſolis, quam ipſe ſol, & ſicut radius de ipſo procedit ſole, ſine vlla ſolis, aut corruptione aut alteratione aut ſubſtantiæ ſolis diminutione, ita ex Patre æterno verbum procedit æternum. Addo. *Figura ſubſtantiæ eius.* Inter nos, figura quam de te pictor effingit, non eſt veſtræ ſubſtantiæ, ſed accidentium tantum, nimirum magnitudinis, qualitatis, pulchritudinis, colorum &c. nec tuæ ſapientiæ, potentiæ, animi, & minus adhuc tuæ ſubſtantiæ, quæ depingi niſi per accidentia, non poteſt, Aſt hæc figura, quam Pater æternus efformauit, eſt figura ſubſtantiæ: quia in ipſa repræſentatur ipſa Patris ſubſtantia, perfectio, poteſtas, ſapientia &c.

I. Quæ ſit figura Patris.

Hoc quoque deſcripſit mira quadam metaphora Dauid, in illo pſalmo myſterioſo, quo
Pſal. 44. 1
myſterium hodiernum explicauit: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Terminus eſt hic, vt ait D. Aug. qui tantæ celſitudini videtur inconcinnus, puritati diſſonus ac inconueniens maieſtati? *Eructauit cor meum verbum bonum:* at ſua inepta groſſitie, optime declarat hoc tam grande myſterium; vt enim ructus procedit de plenitudine ſtomachi, & quidquid in ſtomacho latet redolet (parcite verbo) Ita verbum æternum, de diuinis intellectus procedit plenitudine, & quæ in eo ſunt omnia nouit; quia in ſe concludit idem eſſe ſubſtantiale, idem velle, idem poſſe, eandemque bonitatem.

Col. 1. 15.
Ecce tibi prima figura, quam habet filius Dei, attamen hæc eſt inuiſibilis: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* ait Apoſtolus. Quod medium, vt eum videamus, nobiſque liceat cum eo conuerſari? Aſſumpſit aliam figuram viſibilẽ, quâ noſtris oculis poſſet eſſe viſibilis: hæc illa eſt, quam in ventre virginali ſanctiſſimæ ſuæ matris aſſumpſit, factus
Sap. 7. 1.
homo, vt dicere poſſit illud Salomonis: *In ventre matris meæ figuratus ſum caro.* Patenter ſatis expreſſit has duas figuras D. Ioannes, quibus ſuum exorſus eſt Euangelium: *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* Ecce prima figura, quam habet Verbi æterni ac paterni conceptus, ſecundum quam à Deo procedit, quod cum ita ſit, eam eo modo habere neceſſe eſt, vt proprie dicat Eccleſia: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Vt vero figuram illam videamus, aſſumit aliam carnis: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Viuens Chriſtus in hoc mundo matris figuram gerebat omnibus apertam ac patulam, quâ Patris æterni figuram obuoluebat. Diuinitatem ſuam, quam ex Patre habebat, humanitate, quam ex matre ſua aſſumpſerat: diuitias quas inde detulerat, paupertate, in qua hic erat natus, gloriæ maieſtatem, qua eum Pater generauerat, infirmitate ac pœnis quibus ex matre natus
II. Quæ ſit figura Matris.
proceſſerat: *Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* Quam abſcondita illa Patris figura, hac materna? In tantum vt etiam lynceis oculis
Sap. 7. 3.
perſpicaces aliquanto eum tempore quaſi non agnouerint. *Non eſt ſpecies ei neque decor, vnde nec reputauimus eum,* Quid igitur erit Chriſtum
Iſa. 53. 2.
transfigurari? Tranſire de figura matris, ad eam quæ eſt Patris: vt ille, qui ſe filiũm oſtendebat hominis, id eſt qui de virgine Sanctiſſima natus erat pauper, afflictus, doloribus oppletus, appareret filius Dei, id eſt glorioſus, potens, diues, illuſtris, adeo vt facies eius reſplendeat ſicut ſol, veſtimenta autem eius alba ſint ſicut nix. Quinimo & modo eum Pater agnoſcit vt filiũ ſibi connaturalem, & voce de cœlo dilapſa clariſſimè teſtatur. *Hic eſt filius meus dilectus.*

En Chriſtum in duobus montibus, diſtinctè ac dilucidè has binas figuras exprimentem; in monte Caluariæ & in monte Thabor. In monte Caluariæ matris figuram oſtendit, ſic vt nunquam clarius; & veram eſſe oſtendit humanitatem, verum ſe eſſe hominem, mortalem, paſſibilem, & in ea paulo ante figura illum populo Pi-
Ioan. 19. 5
latus exhibuerat. *Ecce Homo.* in ea quoque eum
Hie. 9. 17.
attenderat Hieremias. *Homo eſt, & quis cognoſcet illum?* Ita legit D. Aug. & ad rem noſtram ita exponit: Non videtur in eo niſi hominis figura. Hinc illud elicies myſterium, cur in hoc monte videatur æternus Pater ab illo quaſi ſic receſſiſſe vt dicere potuerit: *Deus meus, Deus meus vt quid*
L. 13. cont Fauſt. cap 8. & l. 22 cap. 40.

[Matt. 27. 46.] *dereliquiſti me.* Mater vero tam propinqua, & patens, vt eam viderent omnes: *Stabat juxta crucem mater Ieſu.* [Ioan. 19. 25.] Conuenit quippe fonti riuulus. Humanitas hæc ac hominis figura de virgine matre procedebat, ea autem hora, quâ huius clariſſima dabat ſigna, optimè ſuadet ratio, vt ibi & mater ipſa videatur.

At modo in monte Thabor, apparet, ac diſcooperitur figura, quam habet ex patre, & ob hunc actum, credunt Doctores Sancti, quod dixerit D. Ioannes, qui teſtis adfuit ocularis. *Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre.* [Ioan. 1. 14.] Rationi congruit, vt ibi Pater appareat, & riuus ille fonti ſuo ita proximus coniungatur, vt eum digito demonſtret: *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* Exhibuit ſe filium hominis, gloriæ Dominum, opum cœleſtium heredem, quas & liberè ſe ſequentibus poſſit polliceri.

Hoc eſt ſe transfigurare, ſpecialiter ſecundum aliquorum Theologorum opinionem, qui ingenij ſui acumine docent, quod ille vultus Chriſti ſplendor, & corporis claritas ac veſtium albedo, non tantum ex animæ gloria procedebat, quantum ex perſonæ Chriſti diuinitate, cuius diuinitas realiter ſuum eſſe ac ſubſiſtentiam communicabat, nedum animæ, ſed & corpori: [Col. 2. 6.] vnde dicere licuit Apoſtolo. *In quo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Ita quoque intellexerunt plures Sancti: D. Greg. Nazianz. a D. Epiph. b D. Leo. c Papa & particulariter D. Damaſc. d cuius vobis verba conſcribo: *Non externè corpori gloria acceſſit, ſed internè, ex Dei verbi Deitate, modo quodam omnem ſermonem excedente ipſi perſonaliter vnita.*

[a Orat. de fide prope fin. b Hær. 69 ad finem. c Serm. de Transfig. d Orat. de Transfig. D. Dam.]

§. 10. *Conceſſit, vt animæ gloria deflueret in corpus, ſicut aquæ Iordanis.*

☞ 20 [Epiſt. 56. ad Dioſc.] MOdus exponendi hoc myſterium, vulgatior, fundatur in doctrina D. Aug. Ex anima glorioſa naturaliter reſultat in corpus quædam huius gloriæ participatio: ſicut enim anima, quæ in eſſe naturali corpori ineſt, illi communicat vitam, motus ac vires naturales: ita quando eidem ineſt in eſſe glorioſo, hanc eidem communicat gloriam: velut accenſa candela in medio lucernæ cryſtallinæ, lucem ſuam ac ſplendorem cryſtallo impertit, vt ſol ſplendidiſſimus eſſe videatur. Ita quoque continget in die judicii, quando juſtorum animæ corpora ſua reintrabunt, illiſque vnientur: cum ſint illæ velut accenſa luminaria, eſſentialis gloriæ luce præfulgidæ, eam corporibus ſuis communicabunt, vnde tanto ſplendore refulgebunt, vt dicat de illis Chriſtus: *Fulgebunt juſti ſicut ſol, in regno patris eorum.* [Matt. 13. 43.] At verò in Chriſto continuum erat miraculum, quod tota eius vita perſeuerauit; & hoc illud eſſe dicimus, quòd ab instanti ſuæ puriſſimæ Conceptionis eius anima tanta præfulſerit gloriâ, quantâ & hodie. Hac de cauſa Hierem. de ipſo loquens in ſua Conceptione vocat eum virum: *Fœmina circumdabit virum.* [Hier. 31. 22.] Qua phraſi juxta mentem D. Pauli, ſignificat beatum: qui enim beati ſunt, illos viros vocat perfectos: *Donec accurramus omnes &c. in virum perfectum.* [Eph. 4. 13.] Quinimo & ob eandem rationem in mundo degens Chriſtus de ſe ait: *Qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo.* [Ioan. 3. 13.] Licet autem ex re, natura, & neceſſaria conſequentia, gloria hæc corpori eſſet participanda: ſicut reuera, quando tu ſinu tuo carbonem contines ignitum, calor veſtibus communicatur: vt enim quid impoſſibile quærit Spiritus S. *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta eius non ardeant?* [Pro. 6. 27.] Abſcondebatur tamen hæc gloria, omnino repreſſa intus in anima, nec quidquam eius corpori conferebatur, quocirca anima tam glorioſa, quàm hodie viuit in cœlo, viuebat in corpore mortali, paſſibili, doloribus, pœniſque ſubiecto.

Omnes loquuntur fluuium Iordanis de monte Libano proſilientem. Naturalis ac neceſſarius erat eius curſus impetuoſus ob aquarum copiam ex monte defluentium, per valles & area humilia; vt verò Deus liberum aridumque tranſitum præberet filiis Iſrael ad terram promiſſionis, nouo miraculo aquas repreſſit, vt deſuper fluentes in parte continerentur ſuperiori: quod ita S. pagina deſcribit: *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes, apparebant procul ab vrbe quæ vocatur Adom &c. quæ autem inferiores erant in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent.* [Ioſ. 3. 16.] Ecce fluuium Iordanis, ecce Chriſtum, cuius eſſentia procedit de monte Libano, de Patris intellectu, velut aqua limpidiſſima, de fontis origine: *Ego ſicut ſi aquæductus exiui de paradiſo.* [Eccl. 24. 41.] O fontem, quem illuminatis vidit oculis Rex Propheta: *Apud te eſt fons vitæ.* [Pſ. 35. 10.] Hanc ipſe ſitiebat aquã, velut ceruus conſoſſus frigidas quærit vndas, & eius vehementiori ardebat deſiderio, quàm ciſternæ Bethleemiticæ. Hanc præoptabant Prophetæ, hanc ſancti poſtulabant ad ariditatis mundi irrigationem, multò ſalubriorem quàm illa, quæ terram aridam

tempore

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tempore vatis Eliæ inundauit. Fons hic cœleſtis verbi Diuini, de Patre ſcaturiens, eo inſtanti, quo ſe noſtræ coniunxit humanitati, aquas ſuas diuinas cœpit profundere, vt per terram fluerent noſtræ humanitatis; & primo quidem, illas in parte effudit natura ſuperiori, animæ illi ſanctiſſimæ gratiam infundit cœleſtem, perfectam gloriæ lucem, integram cum ſumma plenitudine beatitudinem. Sed quia nobis tranſitum parare decreuerat ad gloriam per carnem
Heb. c. 10. 20.
ſuam ab omni labe puriſſimam (*Quam initiauit nobis viam per carnem ſuam*, inquit Apoſtolus) hoc ſtatuit ac voluit, vt aquæ gloriæ cœleſtis in parte ſuperiori ſuſpenderentur, ac inſtar montis intumeſcerent, vt longe ſuperarent excederentque montes quoſlibet altiſſimos, id eſt ſpiritus Angelicos: maior etenim fuit gloria, quo diuina illa anima refulgebat quam omnium Angelorum ſimul: pars vero inferior carnis ac corporis ſicca erat, vt nec gloriæ guttula commaderet, ſed pœnis, doloribus, fame, ſiti, mortalitate, grauitate exareſceret.

21 Attende modo, quæſo, Transfigurationis myſterium, quod aliud non fuit, quam permittere, vt harum aquarum aliquæ defluant guttulæ, quæ ſuſpenſæ continebantur in parte animæ ſuperiori, vt vehementiori impetu fluant, irrigent, & ſe extendant per totam partem corporis inferiorem, vnde totum apparet glorioſum, pulchrũ, tanta cœleſti gloria, claritate, ac luce præfulgidum, quanta nobis illud deſcribit D. Euangeliſta: *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Idem quoque interpretatur D. Hieron. de toto Chriſti corpore ſanctiſſimo; Huius quoque gloriæ torrens ſacra eius percurrit veſtimenta, quæ licet paupercula, provt intelligere poſſumus, illa tamen tanto perſtrinxit ſplendore & diuina quadam pulchritudine vt eſſent veluti clariſſima quædam nubes, quando eam directo lumine ſuæ lucis clariſſimis radiis ſol illuminat. Aliud quoque
3. p. q. 45. a. 2.
in hoc myſterio miraculum claruit, quod S. Theologiæ primicerius *D.* Thomas, opinatur ex ſupremis miraculis vnum, quæ Chriſtus toto vitæ decurſu patrauit, quod communicata hodie tali gloria corpori, qua tale vt vidimus, reſplenduit, nihilominus idem manſerit mortale ac paſſibile, quale ante fuerat, & ad mortem vſque permanſit. Magnum prodigium! hæc enim ea eſt gloriæ animæ natura, vt corpori communicata cunctos auferat defectus mortalitatis, paſſibilitatis, grauitatis ac corruptionis, provt noſtris eueniet corporibus, quando in die Reſurrectionis anima glorioſa illis denuo vnietur. Ingens hoc miraculum oſtendit Deus Moyſi in monte, ignem ardentem, flammas voraces in rubo illum peruadentes, nec tamen vel vnam ſpinam conſumentes. Iure optimo vocauit illud Moyſes viſionem magnam: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Exod. 3. 3. Et quis non admiretur, quod ignis tam efficax arripiat rubum, illum omni ex parte penetret, ſed nec eius ſpinas conſumat? cum quam primum ignis rubum incendit, ipſas ilico ſpinas exurat, vtique magis diſpoſitas, ac aridas, vnde vulgaris eſt hæc S. Scripturæ phraſis; *Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Pſa. 117. 12.

Expendunt Theologi prægrande fuiſſe miraculum, cum Deus D. Paulum ad tertium cœlum rapuit ſublimem, & animæ ipſius lumen infudit gloriæ. Conſentio magnum fuit hoc ex ſe miraculum; at multis paraſangis præcurrit & aliud ſcilicet, quod luce illa gloriæ animæ communicata, in illa tamen permaneret habitus fidei, nec illum abſumpſerit, & ipſe quoque Paulus viator permanſerit, illaque gloria ad breuem temporis moram animam illuſtrarit: hæc namque gloriæ natura prædicatur, vt omnem auferat, nec ſecum patiatur imperfectionem: *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* 1. Cor. 13. 10. Habitus autem fidei, in ſe concludit imperfectionem, cum ex ſe obſcura quædam ſit lux & ineuidens: at gloriæ natura eſt perpetuitas, & qui ea vel ſemel potitur, illa æternum perfruitur, proinde eius menſura, eſt ipſa æternitas, & contradictionem implicat illud recipere, quod ex ſe & intrinſece eſt æternum, tantum ad breuem temporis moram. Illud hodie miraculum celebramus. Corpus glorioſum, & mortale, corpus, cui anima glorioſa ſuam participat gloriam, & per totum diffundit, mortale tamen maneat ac paſſibile, immutatum.

I. Magnum miraculum corpus mortale & animagloriosa.

Diuinam hic contemplor ſapientiam, de qua dicitur, *Omnia proſpiciens.* Sap. c. 7. 23. Omnibus accurrit, omnibus prouida. Expediens nobis erat ac neceſſaria mors Chriſti, illo enim non moriente, nulla nobis vita ſupererat. Et hoc quoque conueniebat, vt gloriæ ſuam ſpeciem declararet, tam vt ſuæ diuinæ perſonæ aſſere et Diuinitatem, quam ut ſuis oſtenderet gloriæ ſpectaculum, quam ſe ſequentibus, crucemque tollentibus præparauit. In hunc ergo finem tanta operatur prodigia; vt corpus ſuum manens mortale ac paſſibile, appareat tamen glorioſum, adeoque ſplendidum, vt eius lux ſolis obſcuret radios, veſtimenta eius candori ni-

niuis æquiparentur, & qui hac gaudet viſione, ita mente extra ſe rapiatur, vt vltra nihil cenſeat ſibi expetendum: proinde inclamat. *Domine bonum eſt &c.*

### §. 11. *Gloriæ nobis breuiter ſpeciem oſtendit, qua in cælo perfruemur, conuiuium de quo Iſaias.*

22 ASſumpſit Chriſtus diſcipulos ſuos in montem excelſum, vt eis gloriæ ſpeciem oſtenderet, quam ſequacibus ſuis eſſet conceſſurus, crucis onere prægrauatis. Ad hoc eis offert corpus ſuum glorioſum ac reſplendens: quia ei ſimile noſtrum erit, ſi eius veſtigiis inhæreamus

Iob 36.32 hoc eum agere cenſeo, quod ait Iob, & paulo ſuperius prælibauimus: *Annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit peruenire:* Hoc nobis dicit Apoſtolus fideles exhortatus ne fatigemini, nec animum abiiciatis in tribula-

Philip. 3. 21 tionibus; hoc attendite, quod *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Tangit illud quod Chriſtus in hac occaſione dixit diſcipulis ſuis, illos præmonens, vt tollerent crucem ſuam ſequerentur præeuntem, vita tribulationibus pleniſſima ſeque felices iudicarent: venturus enim eſſet ipſe cum gloria, taleſque eiuſdem gloriæ redderet participes. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet vnicuique &c.* Vt eam autem oſtendat, hac præludit myſterioſa viſione. Animæquiores eſtote fratres, (hortatur Apoſtolus) non vos frangat ieiunium, non deiiciat diſciplina, paupertas non euincat, nec perſecutio infirmet animum, non denique ipſa vos crux collidat puſillanimes: Hoc meditemini, *Saluatorem exſpectamus.* Quid autem aget? *Reformabit corpus humilitatis noſtræ.* q. d. Hoc corpus abiectiſſimum, infimum, viliſſimum: hoc corpus totius mundi colluuies miſeriarum omnium cumulus ærumnarum. Et qua ratione reformabit? qua illud induet figura? *Configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ad normam & ſimilitudinem ſui corporis idem corpus erit, quo ad ſubſtantiam, quale illius fuit, ac proinde non dicit, quod illud transſubſtantiauit, hoc enim fuiſſet, de vna in alteram mutare ſubſtantiam, ſed transfigurauit; hoc eſt, mutauit figuram eius ac qualitates, ita erit & noſtrum. En Chriſti corpus, quale in monte Thabor appareat: tale erit & tuum.

Quam congrue hoc Deus ipſe per Iſaiam prædixit, vt electos ſuos excitaret & in tribulationibus ſuis redderet fortiores. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc* Iſa. c. 25. 6 *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos &c. Præcipitabit mortem in ſempiternum, &c. quia requieſcet manus Domini in monte iſto.* Singula inſpiciamus, & quandoquidem illis Dominus nobis aliquid voluerit indicare illius gloriæ magnitudinis, certe propoſito noſtro neceſſe eſt, vt ſint valde conuenientia *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium.* Vocatur Deus abſolute *Dominus*, quo eius dominii innuitur magnitudo: eſt etenim interminum. Inſtituit Rex Aſſuerus centum ac viginti ſeptem Eſth. c. 1. 4 Dominus Prouinciarum conuiuium, *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ.* Et vt erat ille tantarum Dominus ac Rex prouinciarum, fuit & eius conuiuium celeberrimum mundo ſpectaculum. Ad hoc vero deſignauit hortum regium: & cum eſſet ad potentiæ ſuæ iactantiam, quis non dicat tantæ magnitudini correſpondiſſe conuiuium? Quid vero hoc in comparatione diuini huius conuiuii? Magnus Rex Aſſuerus: nihilominus certo regnum eius limite claudebatur, ita quoque eius conuiuium, tam in iis quæ huic conuiuio intercidebant, ac miniſtrabantur, quam in temporis mora qua extendebatur, quæ certo termino finiebatur, at Dei conuiuium, quale, quæſo te, illud? Ipſe Dominus illimitatus, abſolutus. *Dominus.* Omnium Dominus; conueniat igitur conuiuium eius magnitudini, ſit illimitatum, ſit interminum, tam in temporis diuturnitate, quam ferculorum varietate atque præſtantia.

Hoc inquit, conuiuium, *Faciet Dominus in monte hoc* a terra eleuato: quæ enim hic in cibum præparantur, nec terrena ſunt, nec abiecta, nec ſordida corruptibilia breui peritura. Minime gentium. Permagnificum fuit illud Aſſueri conuiuium, porro cum regnum ipſius de terra ſurſum non efferretur, illud in eius erexit planitie: at cum principale regni diuini dominium ſurſum ſit, in altiſſimis cœlorum faſtigiis ibi quoque celebrabitur conuiuium. Quidquid in terra eſt, terrenum eſt, & in terram reuertitur: *Quæ de terra ſunt, in terram conuertentur.* Ecc. c. 41. 11. Parantur terrena terrenis, quibus nutriuntur: at filiis Dei, diuina, cœleſtia, ſuprema, quæ mundum hunc viſibilem excedant, in monte cœlorum:

*D. Augu. Lib. Solil. c. 22. Tom. 9* ſlorum ; *In monte hoc.* Hanc D. Aug. perpendebat rationem : *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te: ſecundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, eſt etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te. Magnus enim es tu Domine Deus meus, & immenſus, nec eſt finis magnitudinis tuæ &c. Et ſicut magnus es tu, ita magna ſunt donaria tua: quoniam tu ipſe es præmium & donum.*

## §. 12. *Cæli gaudia breuiter Propheta declarauit illa tamen non nominans.*

23 INquiramus, quæ erunt hæc fercula, quibus excipiemur? *Conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum.* Pinguia, pinguia medullatorum. An non loquendi modum demiraris? Erunt ne perdices, galli indici, vituli trimi, aues Phaſidis? Num fercula dulciſſima, oſſa melle ſaporata, num liba, num ſalgama, num arida bellaria? Num forte ſapida poma pyra, ceraſa, nuces &c? Nihil horum meminit, ſed illa hoc verbo deſcribit: *Pinguium, pinguium medullatorum*; eo quod nihil ſit in rerum natura huic comparandum, nec vlla verborum eloquentia nouerit, hæc explicare. Diſputat

*In Pſalm. 119. Pſ. 83. 6.* D. Aug. ad illa verba Dauidis: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrimarum in loco quem poſuit.* Quærit D. Aug. Quis eſt, o Dauid ille locus, & quid illud quod Deus poſuit, quod præparauit? An hoc nobis non indicabis? Quis hic apparatus epularum? Quæ lautitiæ adeo ſapidæ, quæ hæc menſa ſaliaris? quæ cœna genialis? Non dicit. Nec mireris, reſpondet D. Aug. quia nec ipſe D. Paulus hoc valuit explicare, licet & viderit & guſtauerit, quinimo ex hoc ipſo magis obmutuit, & quo illa diſtinctius cognouit, eo minus verbis potuit declarare, cui ſatis fuit dicere, fuiſſe fercula conuiuium a Deo electis ſuis præparatum:

*Iſa. c. 64. 5. & 1. Co. 2. 9.* *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Oculos dilatate, quantum poteſtis, intuemini ſolem, lunam, ſtellas, fontes, flores,

*I. Locus Iſaiæ explicatur.* gemmas, margaritas, vniones, nihil horum eſt: *Nec oculus vidit.* Aures arrigite, quid de terris longinquis narretur auſcultate, licet fabulas ſapiant, ac mendacia, de auri fodinis, gemmeis montibus, auibus ſuauiori cantu, ac plumarum varietate gratiſſimis, nihil horum eſt: *Nec auris audiuit.* Laxate fræna imaginationibus ac phantaſmatibus, imaginamini vobis quidquid poteritis de mellitis fluminibus, lacteis, ſimilis floribus cum fructibus, caponibus, perdicibus, arboribus gemmis pretioſiſſimis grauidis &c. Omnia ſcoria ſunt; *Nec in cor hominis aſcenderunt.* Quid igitur erit? Hoc tantum dico, reſpondet D. Paul. conuiuium eſſe amicis ſuis a Deo præparatum. *Quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.*

Hinc aliquid poteris inueſtigare. Si regale intrares palatium, & ad primum ingreſſum, locum omnibus peruium, nobilibus, plebeis, filiis, ſeruis, incolis, aduenis, quintimo & canibus ac animalibus, cerneres ipſum pauimentum ſtratum tegulis aureis, contectum aureis, argenteis, ac ſericis tapetibus, millenis floribus, ac ramuſculis intertextis. Deinde oculos ad tectum ſurſum attolleres, pulcherrimum, lacunaria ex auro, ut carbones viderentur flammiuomi: Ex vna & altera parte abacos poculorum, peluium, vaſorumque auro argentoque vermiculatorum, parietibus appenſas vmbellas Attalicas, aulæa Babylonica, quæ diuerſis coloribus picturæ, gemmarum, aurique intextis fulgerent auguſtius, circumquaque ſcaturientes fontes cryſtallinos, marmoreis columnis circumornatos. Menſas cerneres oppipare inſtructas omnigenis ferculis, deliciis lautitiis permagnificas: vinum nobile Creticum falernum, nectar. His ſupra modum obſtupefactus œconomum adires, ab eoque inquireres: Amabo, quid hæc ſunt? Ille vero reſponderet. Hoc chariſſime, hoc domus huius villa ruſtica eſt, a Rege deſtinata, ſeruis, mancipiis, animalibus, omnibuſque promiſcue confluentibus; ſtatim adderes. Domine Deus quid igitur Rex ſeruat ſuis in cubiculis ſecretioribus ac regalibus ſibi ſuiſque filiis ac principibus maxime familiaribus? Si id quod ego plurimi facio hoc in ipſa villa ruſtica, vt maxime commune habeatur, mancipiis, infimæ ſortis hominibus; quid credam in interioribus aulæ receſſibus Regi filiiſque reſeruari?

*II. Similitudo.*

Præpotens ille Rex Deus, Dominus abſolutus creauit hoc mundi palatium: atrium eſt, pauimentum eſt, pars inferior, vide quale ſit, quanto fulgeat auro, quanto ſplendeat argento, quot gemmis rutilet, quot tapetibus, floribus, ramuſculis fragrantiſſimis ac gratiſſimis intertextis ſolium ſubſternatur? Intuere menſe Maio campi faciem viridantis, nec enim talia in Germania aut Flandria texuntur ſtragula. Dein oculos erige ad cœli conuexum, en quale lacunar, tot reſperſa ſideribus laquearia. Circumquaque lumina reuolue, qui fontes, quales fructus, quæ

gemmæ,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gemmæ, lapides qui, arbores quæ, maria piſcibus referta quæ? Cum Dauide mirare cœli teſtudi-
Pſ. 8. 4. nem. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Contemplare auium ſpecies, piſcium genera, fructuum multitudinem: quod aurum? quod argentum? quæ margaritæ? qui fontes? quæ prata? quæ deliciæ? Hæc Domine quibus, & quibus creaſti, paraſti, inſtituiſti? Noueris hoc eſſe coloniam omnibus communem Mauris, Arabibus, peccatoribus, Dei inimicis, equis, elephantis, apris, paſſeribus, vermibus. O Deum æternum! quænam, amabo te, erunt, quæ in cœlo tibi, tuiſque filiis pulcherrima præparaſti? *Quæ præparaſti diligentibus te?*

Hæc Dauidis erat contemplatio, quando ve-
24 ro oculos ſuos explicabat, & quæ creauit Deus in hoc mundo meditabatur, quæ luminaria die ac nocte lucentia? quis ſtellarum fulgor? quæ fontium ſcaturigines? quis pratorum viror? quæ metallorum pondera? quæ plantarum delectabilis varietas? quam gratum videre ceraſum fructibus ſuis flammeolam? pomum fructibus incuruam? quæ hic non creauit pulchra, grata, delectabilia? quibus? quis illis potietur? inimici Dei, & maiori numero peccatores. Quid ergo erit Domine filiis tuis, ſeruis tuis, tuis ami-
Pſ. 30. 20. cis, tuis familiaribus? *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Si quiquid contemplari, audire ac videre poſſum, ad hoc pertineat atrium commune Dei inimicis, quæ dulcedinis erit multitudo, quam abſcondiſti intimis illis cœlorum receſſibus, quibus illi ſoli perfruentur, qui tibi ſeruiunt fideliter, te honorant, tibi obediunt, diligunt, & in tuorum cenſentur numero filiorum? Si cerneres circumquaque palatium, & per feneſtras plenis calathis hinc eiici gemmas, vniones, adamantes, rubinos, ſapphyros, hyacinthos
III. illinc tegulas aureas, minas Atticas, Daricos co-
Similitudo. ronatos, libras Romanas, laminas argenteas obrizas: hinc perdices pauones indicos, gallinas tibique exterrito, & oculos attolenti occurreret architriclinus, ſenex canitie venerabilis, qui ſcire deſideranti reſponderet. Quid hæc omnia demiraris? Scito hæc omnia domus huius eſſe tantummodo ſcoriam ac ſordes, quæ vt tales his ædibus euerruntur, quam ſtupore attonitus, quam extra te raptus quam ſuſpenſus cogitares Deum immortalem! ſi hæc domus huius ſunt ſordes, quæ eius erunt diuitiæ? Si hæc, quæ noſtro iudicio vt maxime pretioſa cognoſcuntur, vt ſordes euerruntur, quæ erunt illa, quæ apud illos habentur pretioſa? Scitote chariſſimi, Palatium & Dei domus eſt cœlum, ad hoc nos creauit, ad hoc nobis commigrandum

Hoc Dauidis animam recreabat; *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Hoc viros iuſtos tribulationibus anima-
bat agitatos. Fateor, eos modo vt paradiſo Pſ. 121. 1.
extorres viuere: nos omnes: *Exules filij Euæ.* Attamen elucebit dies, quo ad paternas ædes reuertamur. Quæ his ædibus non eiiciunt, non eiecerunt pretioſa? Hæc ſidera, fontes illos, illas gemmas, illos rubinos, hoc aurum, argentum, & quæ hic pulchra miraris, illinc exciderunt? *De ſurſum eſt.* Oculos explica, & vide,
quid dignum repereris, vt oculos in illud de- Iaco. 1.
flectas. Vide torques aureas, gemmas, quæ rapiunt oculos, adamantes omne pretium excedentes, prata virentia, fontes pulcherrimos, tot cibos, tantam auium varietatem, omnia illinc exciderunt, & ſi ſcire quid ſint deſideras, mentis oculos erige, en tibi diſpenſator Dei myſteriorum D. Paul. talem enim ſeipſum inſcribit:
*Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſ-* 1. Cor. 4. 1.
*penſatores myſteriorum Dei*, & quid ille de his Phil. 3. 8.
dixerit, intelliges. Sordes ſunt hæc omnia; *Omnia arbitratus ſum, vt ſtercora.* Nec illa ſumpſeris, ait D. Baſil. dicta per auxeſim, quia in rei veritate, non cenſetur magis ſcoria ac ſordes, caniſtrum ſtercoris in regio cubiculo, quam foret caniſtrum rubinorum, adamantum, vnionum &c. in cœlo empireo. Ex eo quippe quod ſit corruptibile, licet ſit aurum primum, argentum purificatum, adamas ſummi valoris, ſuis punctulis, vt radiis elaboratus, peius eſt, minus eſt illi loco ipſo ſtercore, vbi omnia æterna ſunt ac incorruptibilia, & propria phraſi dicere liceret, quod non minus offenderet, ac regnum illud dedeceret caniſtrum gemmarum orientalium, quam caniſtrum fimeti in mundiſſima Regalis aula palatii.

Veritatem vobis propono Catholicam, dum
hæc exaggero, vt ſint gradus ſcalares mentibus 25
veſtris, dicatiſque. O Domine, ſi hæc tanta domus tuæ, ſint ſordes, quid tuæ erunt diuitiæ? Si maximæ diuitiæ, quas vel vident oculi vel aures audiunt, vel cor meditatur, ſcoria ſunt, quid illa, quæſo, erunt? Nulla hæc lingua valet explicare
Audiamus D. Aug. huius domus magnitudinem D. Aug.
gloriamque perpendentem, cuius verba tam pia L. Sol. c. 21
quam docta hic arreximus; *Ex his minimis tua* Tom. 9.
*magna, & ex his viſibilibus tua inuiſibilia comprehendimus, Domine Deus ſancte, & bone creator noſter Si enim, mi Domine, pro hoc corpore ignobili & corruptibili tam magna & innumera beneficia præ-*

ſtas a

*ſtas à cœlo. & ab aere, à terra & mari, à luce & tenebris, à calore & vmbra, rore & imbre, ventis & pluuiis, volucribus & piſcibus, beſtiis & arboribus, & multiplicitate herbarum, & germinum terræ, & cunctarum creaturarum tuarum miniſterio, nobis ſucceſſiuè per ſua tempora miniſtrantium vt alleues faſtidium noſtrum, qualia, quæſo, & quàm magna, & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparaſti diligentibus te, in illa cœleſti patria, vbi te videbunt facie ad faciem? Si tanta nobis facis in carcere, quid ages in palatio. Magna & innumerabilia ſunt opera tua Domine, rex cœlorum. Cum enim ſint hæc omnia valde bona, & delectabilia, quæ bonis pariter, maliſque communia tradidiſti, qualia futura ſunt illa, quæ ſolis bonis recondidiſti? Si tam innumera & varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quàm magna & innumerabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ ſolis es largiturus amicis? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta quæſo, continet patria? Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.*

## §. 13. *Magnitudinem cæli Empyrei nos docet hæc ſiderum cælorumque magnitudo, vt quaſi fidem excedat, quod de ea dicunt Aſtrologi.*

☞ 26
*L. 13. de Gen. ad litt. & 15. in imp. Gen. 1. 14.*

EX hoc argumento, debebat ipſe D. Augu. elicere ſenſum illorũ verborũ Spiritus S. qui referens cœlorum creationẽ, & quomodo illos Deus ornârit ſtellis maioribus ac minoribus, præcipuè verò ambobus illis luminaribus ſole ac luna, ait: quòd ſtellas poſuerit in firmamento, id eſt octauo cœlo: *Vt ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos*. Hoc facilè capimus, quòd Deus creauerit cœlos, ſtellas, nominatim autem ſolem & lunam, vt faciant, & diuidant tempora, ver & hyemem, noctes & dies, mẽſes & annos, cum hæc omnia ab eorum dependeãt motibus, quibus nobis ſol lucet vicinior, magis vel minus recedit, diem illuminat, noctibus diſparet, cui luna ſuccedit, &c. At quis horum ſenſus? *Vt ſint in ſigna*. Et hoc primum ponit, vt eorum præcipuũ officium. Notum eſt illud axioma philoſophicum; id quod pro ſigno ponitur, non poni propter ſe, ſed vt eo viſo intellectus noſter aliquid maius intelligat. Huic innixi Aſtrologi (dicunt SS. Patres) fundârunt prætenſionem ſuam, ac veritatem ſuarum prædictionũ, iudiciorum, prognoſticorũ ſcientiæ iudiciariæ, cuius rationes ac dicta referunt; reprobant ac conuincunt D. Baſil. D. Ambr. D. Aug. D. Thom. *Hieron. Lanuza Bapt. de Tom. I.* & alij tam Græci quàm Latini, citati à Lipoma. Licet enim verum ſit, quòd corpora cœleſtia & ſtellæ influxum habeant efficacem, in hæc corpora inferiora verumtamen in animas minimè, ſed nec in ipſum liberũ hominis arbitrium; licet bene notet Hugo de S. Victore quòd eo quod animæ ſe ſinãt corporis affectibus commoueri cognoſcendo quos cœlorum ac ſiderum influxus affectus in corpore moueant, inde ſumant argumentum iudicandi eodem modo de animis, ac libero arbitrio: verumtamen incerta ſunt omnia, vaga ſunt omnia; quinimò paruam poſſunt habere eorum certitudinem quod corpora, ait D. Thom ob incertitudinem, quã procedunt in aſtrorũ, eorumq; motuum ac influentiarum cogitatione. Dicunt alij, eſtque ſententia communior: quòd Deus poſuerit cœlos, ac ſidera: *In ſigna futurorum*, vt Chriſtus ait: quando veſperi cœlum videmus rubeum, prædicimus ſerenitatem matutinam: quando verò luna circulo apparet concluſo, prognoſticum illud habemus pluuiarum, & his aſpectibus cœli ac ſiderum tam nautæ quàm operarij plurima futura præſagiunt.

*Caten. in Gen. cap. 1. tex 6.*
*In Cen 7.*
*Opuſ. de iudic. aſtrol. & refert Lipom.*

Hanc approbo declarationem, at verò illam D. Aug. cit. admiror. Quòd Deus immenſam hanc cœlorum aſtrorumque poſuerit machinam, nominatim autem pulchriora illa luminaria ſolem & lunam in ſigna vt ex eis aliqualem cœli empyrei, locique cœleſtis gloriæ, ad quam nos Deus procreauit, eliciamus cognitionem. Creauit ac poſuit Deus hominem in terra, non vt in ea perpetuus maneret habitator incola, ſed vt iter cœlum verſus dirigeret, & hic viuens corpore, ſurſum cogitationes, animam, votaque ſua eleuaret. Vt verò horum aliqualem haberet cognitionem, oculis eius expoſuit totam hanc machinam, præcipuè verò ſidera ac cœlos. Perpende horum magnitudinem, claritatem, ſplendorem, venuſtatem, & hæc ſint tibi in ſigna eorum quæ cœlo empyreo continentur, magna, clara, ſplendida & in ſummo gradu venuſtiſſima. Si hæc tam grata nobis conceſſerit, quantò tempore in hac valle degimus lachrymarum exules, quid loco illi ſeruauit, vbi cum ſanctis ſuis regnabit æternùm glorioſus? quid eſt cœlum hoc quod oculis conſpicimus? quid hæc ſidera? quid ſol per diem nos illuminans, & Luna per noctem? Præclara valde nobis de his ſcriptis mandârunt Aſtrologi doctiſſimi, & hoc æuo noſtro Chryſtophor. Clauius. Hoc vt certum (ait) ſuppone; minimã ſtellam, earum quas vides in cœlo

 ſtellato

*In Sp. cap. 1. quem ſequitur Corn. à Lap. in 1. Gen.*

ſtellato octodecies excedere magnitudine totam terram. Statuunt Aſtrologi varias ſtellarũ quantitates, quas in ſex claſſes diuidunt. Primæ quantitatis ſtellæ ſeptemdecim ſunt maiores toto terræ globo centies & ſepties. Secundæ quantitatis quadraginta quinque terram excedunt nonagies. Tertiæ quantitatis ducentæ & octo mũdum ſuperant ſeptuagies & bis. Quartæ quantitatis ducentæ ſeptuaginta quatuor; hãc molem excedunt quadrageſies & quater. Quintæ magnitudinis numero ducentæ ſeptemdecim, machinam hanc exſuperant trigeſies quinquies. Sextæ quantitatis, cæteræ ſcilicet omnes, licet Aſtrologi tantùm ducentas illas ac quadraginta nouem conſiderent, ſunt maiores tota terra octodecies. En quantæ ſint, en quot ſint, & quàm exigua pars cœli ſtellati, quam iſtius cœli exiguo ſpatio contineantur, & quàm multò ſint ampliora eiuſdem cœli vacua ſpatia, quàm ea quæ ſtellæ occupant, vt locus infinitis aliis ac multo maioribus figendis ſuperſit, cum milleſima pars ſtellis non ſit, vermiculata. Hinc collige, quàm vaſta ſit hæc cœlorum machina, quàm immenſæ magnitudinis. Quanto, credis, tempore plumbea glans ſclopi maioris indigeret, vt ſpatium vel minimæ ſtellæ illam pertranſiret? duobus annis ſubtractis decem diebus: quia vt probant ſupradicti Auctores, vt tranſeat plumbea ſclopi maioris glans per terræ ſuperficiem, quadraginta dies requirerentur. Si igitur minima ſtella octodecies maior ſit tota terra, bene infertur, vt illam tranſuolet ſclopi glans plumbea, requiri ſeptingentos & viginti dies. Hinc ſolis collige magnitudinem, qui cum ſit mundo maior centies ſeptuageſies, vt illum percurrat glans ſclopi maioris requirerentur anni ſex mille, & dies quadringenti, id eſt plus quàm octodecim anni; videntur hæc fortè quibuſdam efficta; ſed in rei veritate hoc ita eſſe probant huius ſcientiæ profeſſores. Hinc & illud ſecundùm annecte, videlicet iſtorum cœlorum ac ſiderum motus; ſingula eorum quæ ſedem habent in Æquinoctiali & quælibet pars ſeu cœli punctum quòd in iſta linea coniungitur, quâlibet horâ tantùm conficiunt ſpatij, quantùm conficeret veredarius ſingulis diebus quatuordecim leucas horarias percurrens, mille nongentis & quatuor annis. Si tantùm ſpatij quilibet eorum motus percurrat vna hora, quantùm ſpatij conficiet viginti quatuor horis, diebus ſingulis. Vnde inferunt eorum motum multo eſſe velociorem motu vnius ſagittæ, quinimò & glandis ferreæ. Quàm igitur erit immenſum ſpatium iſtud? Eſt enim tantum ſpatium, de terra ad conuexum cœli ſtellati, vt ſi illinc deuolueretur lapis molaris, impenderet nonaginta annos antequam ad terram vſque laberetur; licet autem hoc ſimpliciter dicat D. Vincent. Ferrar. fuſiùs tamen probant præfati Auctores. Si quis rectà ſcanderet ad conuexum cœli ſtellati, ac ſingulis diebus conficeret viginti milliaria, indigeret octo millibus annorum. Hoc refert ac aſſerit inſignis ille Aſtrologus apud Arabes Alpharabius. Et ſecundum hanc opinionem, vt ad cœlum empyrium accederet, opus eſſet ſedecim millibus annorum. Ita vt, ſi ab eo inſtanti, quo Deus Adamum creauit, vſque in hodiernum diem cœpiſſet aſcendere, quotidie viginti leucas perficiens, etiam hodie nondum ad cœlũ ſtellatum acceſſiſſet, ſed nec quidem medium ſpatij confeciſſet, quòd hinc ad cœlum Empyreum credunt intereſſe. Humanam fidem excedere videtur; verumtamen id nobis affirmant illi, quos credimus, ſuis ſphœris, ac aſtrolabiis cœlos vt palmis demetiri.

*Refert Salm. relatus à Barradio Tom. 2. l. 9. c. 12.*

Hanc diſtantiam ſingulariter expendit Abulenſ. vt quandam declaret rationem, quare S. Mater Eccleſia Chriſti Domini noſtri Aſcenſionem vocet admirabilem: quia, cum interſit tantum, ac immenſum ſpatiũ, illud tamen breuiſſimo tempore pertranſierit. Hinc etiam intelliges excellentiam dotis agilitatis, vnius ex quatuor dotibus corporis glorioſi, quæ tanta erit, vt illud ſpatium, ad quod emetiendũ glans ſclopi maioris toto ſemper ruens impetu opus haberet annorum centuriis corpus glorioſũ tempore inperceptibili pertranſibit, vnde eius agilitas, cogitationis comparatur leuitati. Obſtupeſce, quàm immenſa ſit iſtorum cœlorum magnitudo, & quàm iuſta ratione dicat Aſtrologia, quòd terra reſpectu cœli ſtellati, puncto non ſit maior. Quid igitur erit reſpectu cœli Empyrei, diuinæ gloriæ loci, quam electis ſuis Deus præparauit. Iam intellige cur totam illam magnitudinem, pulchritudinem ac immenſitatem Deus creauerit, *vt ſint in ſigna*; nimirum vt hinc elicias, qualis futurus ſit locus quem Deus erexit in ſuæ thronum maieſtatis, ſuæ ſedem magnitudinis, aulæ ſuæ ſupremæ habitaculum, & exclames cum Propheta Baruch. *O Iſrael quàm magna domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius? Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus*, quàm ingens eſt iſte locus? *Immẽſus eſt*: nulla enim poteſt mẽſura declarare; actalis eſt, vt *non habeat finem*. Vide nũ ſint verba aliqua

*Paral. 4. c. 14.*

*Baruch 3. 24.*

aliqua magis propria quibus talis melius poſſit magnitudo declarari. O mortales, mentis oculis aſcendite, cogitate, ruminate quanta ſit illius loci magnitudo, quàm ſperatis obtinere, vt tota terræ moles puncto ſit minor (ſi minus quid dari poſſit) eius comparatione. Conſidera igitur ſi totus mundi globus cœlorum comparatione tam nihil ſit, quid erunt terrena hæc omnia regna? quid ciuitates? quid loca? quid tua camporum jugera quæ tibi videntur tam extenſa? quid tuæ poſſeſſiones quas judicas tam amplas? quid domus tua? quid tua palatia? O miſeri, qui curritis exanimes vnius prati, hereditatis, aulæ, palatii, rei alicuius adeo exiguæ ambitione flagrantiſſimi, videte, *Quàm ingens locus poſſeſſionis eius.*

Progredere vlterius, ac conſidera, quòd ſi tanta ſit differentia eorum omnium quæ conſpectui noſtro ſubiacent ad illud ſpatium, quoad quantitatem, non minor eſt quoad qualitatem. Aſpice cœlos illos pulcherrimos, ſtellas fulgentiſſimas, attende ſolis clariſſimum ſplendorem, lunæ venuſtatem, omnia hæc *ſunt in ſigna*: vt per hæc agnoſcas, ſi tale tectum creauerit domui terrenæ, corruptibili, & breui conſumandæ tales teſtudines, laquearia talia, elegantia incorruptibili adornata, quid erit, quod in domo illa cœleſti ſuæ Maieſtati condigna, & æternæ gloriæ congrua præparauit, vbi in æternum regnat ipſe Deus immortalis. Quæ venuſtas? quæ lux? quæ claritas! talis eſt, vt mundi lux maxima nox ſit, ac tenebræ. O terrigenæ, ac filii hominum, cœlos iſtos, ſtellas, fulgorem, vt ſigna conſiderate: hoc eſt, vt illa corporis oculis intuentes ex illis intelligatis mentis oculis eminentes cœlorum prærogatiuas, & videte quam præclare vobis acclamet Rex Propheta: *Fili*
Pſ.4.3. *hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis*
2.Mac. 7.20. *vanitatem, & quæritis mendacium?* Mortales bonis cœleſtibus inſtituti, vt quid adeo vecordes vos ipſos deiicitis, ac animo vileſcitis, vt quiſquilias iſtas diligatis, quid enim aliud ſunt terrena hæc omnia? quam apte vobis illud poſſum occinere, quod piiſſima Machabæorum mater, (quam Spiritus S. hoc celebrat encomio: *Mater mirabilis & bonorum memoria digna.*) ſuggeſſit filiolo ſuo, quo eum ad cruciatuum, mortiſque tolerantiam excitabat, quibus ab impio Rege Antiocho examinabatur. *Peto nate, vt aſpicias ad cœlum* &c. Et altera quoque mulier, pari virtute, ſimili conſtantia, mater iunioris Symphoriani; quem vt vidit extremis doloribus ad vitæ exitum, palmamque martyrii properantem, adhortata exclamauit: *Nate, Nate, memento æternæ vitæ, cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere.* Hoc ipſum vobis inculco, licet enim vos non ad mortem rapiat corporis tyrannorum ſæua crudelitas, inſtigant tamen ad animæ perditionem ſæuiores dæmonum tentationes, mundi illecebræ, caro veſtra ad rerum terrenarum dilectionem, quæ omnia vanitatis arguuntur, &c.

1. Conſideratione cœli mater Machabæorum filios ad mortẽ hortatur.

### §. 14. *Gloriæ cæleſtis bona ſatiant appetitum quem terrana magis accendunt.*

HInc oritur, quod Propheta in particulari 27
non dicat, quid illud ſit quod Deus in hoc conuiuio proponet, ſed quodam velat inuolucro & includit generalitate. *Conuiuium pinguium, pinguium medullatorum:* pinguia, ſubſtantialia plena medullis. Magnam habent verba hæc emphaſim. q. d. illud conuiuium tantarum erit apparatu epularum inſtructum, vt appetitui ſatisfaciat, famemque ſatiet. Cibus autem vt ſatisfaciat, & ſatiet conformis eſſe debet calori ſtomachi qui illum digerit. Si vuam paſſam porrigas ſtruthioni, vel ficum elephanti, vel milium equo, fame interibunt. O quam ingens animæ noſtræ ſtomachus, & quantus eiuſdem calor appetitus! Infinitus eſt, ne minus dixerim, boni capax infiniti; hinc oritur, vt eum nequeat ſatiare quidquid habet mundus, totum enim illud eſt finitum. Quando vehemens eſt ignis incendium, illud aquæ aſperſorium nequit ſuffocare: quinimo eo acrior inflammatur. O animæ incendium, omnia digerens, omnia conſumens: quamlibet infuderis aquam, nihil operatur, hac vehementior inceditur. Infunde aurum, gemmas, argentum, cenſus, reditus ciuitates, regna, ſitim non extinguunt nec calori ſatisfaciunt, inſufficiens eſt hæc aqua tantis flammis extinguendis,

Subtiliter dixit Spiritus S, quod quæcumque mundo comprehenduntur, etiam ſimul iuncta gutta ſunt roris antelucani: *tanquam gutta roris* Sa.11.23.
*antelucani, ſic eſt ante te orbis terrarum,* his cor- D. Augu.
dis magis accenditur appetitus. Optime hæc L. Manu.
deſcribit Diuus Auguſtinus *Cor humanum in* c.23. To.9
*deſiderio æternitatis non fixum, numquam ſtabile eſſe poteſt, ſed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud tranſit, quærens requiem, vbi non eſt. In his autem caducis & tranſitoriis veram requiem inuenire non valet, quoniam tanta eſt dignitatis, vt nullum bonum præter ſummum bonum ei ſufficere poſſit.* Ob hoc præter alias rationes dicitur homo factus ad imaginem & ſimilitudinem

Dei : ſicut enim Deus ſolus ſeipſo ſatiatur, ac in ſeipſo requieſcit ob ſuam infinitam capacitatem : eius enim intellectus capax eſt infinitæ veritatis, ac voluntas infinitæ bonitatis, & idem ipſe gloriæ infinitæ, ac ſubſtantia infinita, ita quoque habet homo capacitatem infinitam, proinde ne putaueris, quòd omni ac toto creato ſatietur : hæc etenim omnia finita ſunt, & velut granum milii in ore elephantis. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Prodit Alexander Magnus, vt fulgoris radius (ob hanc enim rationem eum Deus monſtrat Danieli ſub figura animalis, ita velociter currentis, vt terram tangere non videretur. *Ecce hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram*) & ſibi ſubiicit Prouincias : vna ſubiugata ſibi perſuadens illa jam ſatisfactum, illico reaccenditur vehementius ad aliam quoque ſceptro ſuo adiiciendam, illa quoque obtenta, ſtatim ambit aliam & aliam inquietus. An hæc tibi ſufficiant ô Alexander ? Iam nihil ſupereſt acquirendum : quid deeſt ? minus quietus, minus ſatur ingemiſcebat, quando toti mundo dominabatur, quàm quando eius ne vel minimam partem poſſidebat ; proinde tunc indoluit, tunc fleuit quia plures non poſſet coronæ ſuæ adiungere Prouincias, in tantum, vt cogitare cœperit, num alius eſſet mundus, quem ſuo ſubiugare poſſet imperio : ob quòd neceſſe fuit, vt eius præceptor Ariſtoteles librum inſcriberet, de *Vnico mundo* vbi clariſſimis argumentis probat non niſi mundum vnicum inueniri. Hoc idem (omiſſis hiſtoriis ac rationibus theoricis) nos ipſa docet experientia quotidiana. Pauper eras, omnium indigus, nullius rei Dominus : tum tibi perſuadebas, quòd ſi Deus tibi concederet, vt centum doricis, aut coronatis annuo cenſu viueres opulentus, nullus te foret mortalium felicior, ac quietior. Illos tibi Deus eſt elargitus, diues viuis ; illico creſcit auri ſacra fames, aſcendit in cor deſiderium cum illis & alios eodem lucrandi, cenſumque inſtituendi pinguiorem. Hæc obtinuiſti : ſtatim augetur & ipſa cupiditas, vnde expedire judicas, vt officia ac dignitates ambias ciuitatis, & inter ciues cenſearis honoratiores & hoc tibi contigit. Sed non ſufficit; imaginaris fore non incongruum, ſi nobilis inſcribaris & inſcriptus nobilis, ilico termini dominiorum extendendi, &c. & numquam ſatur conquieſcis. O quot tales vidi, qui pauperes clerici, vel religioſi, ad primas Cathedras aſcenderunt, qui minus pacati erant & inquietiores primis illis ſuperbi dignitatibus, quàm vili ſuo tuguriolo, ſeu cellula pauperes. Nec miror : cum enim animæ capacitas eius ſit infinita, proinde bonum exoptat, quod eam impleat, quod aliud eſſe non poteſt, niſi infinitum ; & quidquid eſt, conſecuta certo finitum limite terminatur.

Dan. 8. 5.

Quando in immenſum creuit incendium, quantumlibet lignum, quod illo minus ſit, flammam non extinguit : licet enim videatur, quàm primum apponitur, quod paululum flammam compeſcat, ilico tamen nimio calore accenſum, acrius incendit, & illo vehementior ignis inardeſcit ; ita noſtræ contingit voluntati : ita expertus eſt Dauid : pauper latebat paterni gregis opilio, voluit montes, rupes, ruboſque deſerere, & populoſas colere ciuitates, ab hominibus in illis extolli, coli, honorari ; ad votum ſucceſſit : dum celebrem illum agit de gigante Goliath triumphum, ob quem tota illum Hieroſolyma feſtiuis excipit applauſibus redeuntem, filiæ occurrunt cum tympanis lætitiæ & ſiſtris, choros ducunt, victori pæana modulantur. An his contentus ô Dauid? Continuò vult Rex Saul ſuis ſtet promiſſis, fidemque ſeruet juratam, det ſibi filiam in vxorem, ſitque gener regis, vt hoc obtento, & ad illum honoris gradum euectus nihil vltra duceret appetendum. Sic enim interrogat : *Num parum videtur, vobis generum eſſe Regis?* Gener fit Regis, applaudite. Num hoc tibi ſufficit? nequaquam Domine; cum enim me vixeris in Regem, hoc mihi ſummoperè eſt in votis, ſim & imperio & dominio verus Rex, Dominus abſolutus; omnes me ſuum regem venerentur. Ita Deus cuncta diſponit, vt ei dent manus, jurentque fidem tribus Iſrael. Regi congratulamini ; Nec hoc illum ſedat, niſi ſit omnium tribuum Iſrael rex independens. Rex eleuatur, ſuſta acclamate ; quid adhuc illi deeſt? *vt ſubdat populum meum ſub me.* fiat. Num modo tandem aliquando ſatur conquieſces ? Modò minus quietus, quàm vnquam, meaque plus cruciatur anima non his ſatiata, quàm tota vita mea, cum hæc omnia mihi parua ac modica videantur, ſed nec inconcinnè, cum ſatiari non poſſit, niſi illo bono quod eius ſit appetitui conueniens, quod ſit infinitum. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Talem eum video die quodam afflictum, gementem, lachrymantem, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Quid gemis? ad quid anhelas ? An tibi deſunt opes, ſupre-

28

1. Reg. 18. 23.

I. David terrenis dignitatibus numquã ſatur.

Pſ. 16. 15

Pſ. 41. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuprema dignitas, regna, ſubditi, famuli, corporis cuſtodes, exercitus, tribunalia, equi, palatia, regia magnificentia? Hæc omnia, (reſpondet) nihil ſunt; eo quippe, quod Deo eſt inferius, non ſatiabor, & quamdiu hoc non poſſedero, ipſum me huius fatigabit deſiderium ſuſpirantem Hoc autem quando, & vbinam aſſequer.s? In cœlo, vbi ſuum Deus inſtruit regale conuiuium, & ſumma cœnatur exultatione. *Hæc recordatus ſum; & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei in voce exultationis & confeſſionis ſonus expulantis.* Illic conuiuio aſſidebimus. quod animam ſatiabit. *Faciet in monte hoc conuiuium, pinguium medullatorum* O quam ſolidos, enutritiuos dabit ipſe nobis cibos: diuinam eſſentiam in tribus perſonis diuinis, totum eſſe diuinum, omnem ſuam ſubſtantiam, ſuam omnipotentiam, gloriam ſuam, magnificentiam ſuam, ſuam maieſtatem. Iudica num cibus ſit ille ſolidus. Hunc Chriſtus ſuis pollicebatur in prœmium eorum, quæ pro ſui nominis gloria &
Lu. 22, 28 paſſi fuerant & paterentur indefeſſi. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in*
2. Reg. 9. 7 *regno meo.* Magnifica promiſſa; Hoc ſummum cenſuit Dauid ac maximum, quod *Principi* Miphiboſeth Ionathæ ſui intimi quondam familiaris poterat concedere, nimirum vt regali menſæ ſecum conuiua reſideret. Defuerunt Aman ſuperbo, alia verba, quibus magis extolleret fauorem, quo ſe apud Reginam Eſther pollere autumabat quam ſi diceret: quod ſe Regi Aſſuero conuiuam inuitaſſet Regis ad menſam aſſidere: quis hoc obtinet? Hoc ego (aſſerit Chriſtus) vobis concedam, hoc vos dignabor honore, hoc meus operabitur ſanguis, mors mea, *vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo,* idem quod ego, tali regno talis menſa, & tali menſæ, tales conuenient epulæ. Quæ menſa hæc, qua Deus in regno ſuo ac maieſtate diuina recreatur? Notum eſt Ariſtotelis axioma: quod omnia viuentia cibo indigeant ſuæ naturæ conuenienti. Animalia proprio ſibi cibo aluntur, aues ſimiliter, quinimo & ipſi cœlites Angeli ci-
Tob. 12. 19 bo nutriuntur naturæ ſuæ concordi: Ita Raphael ad Tobiã: *Ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* Deus igitur, qui vita viuit, omnẽ vitam ſuperante, cibo fruitur illi valde conſono. Quis hic cibus? quæ hæc menſa, cui Deus aſſidet, qua ſatiatur? Ipſa ſua diuina eſſentia, ac ſubſtantia, ſuum eſſe, ſua maieſtas, ſua bonitas, &c. non enim Deus ſatiari poteſt aliquo quòd ſit illo minus; eſt etenim infinitus, & capacitatis infinitæ. Ad hanc igitur regalem menſam, cibumque diuinum vos condico (ait Chriſtus) idem quo ego veſcor, quo ego reficior, ac illud omne, quo viuo æternum glorioſus vobis in cibum miniſtrabo. Hoc eſt, quod aget, diuinam ſuam eſſentiam vniet (en qualis vobis mẽſa præparata) intellectui noſtro, confortato, & adiuto lumine gloriæ, eritq; vnio, quàm Theologi vocant, ratione ſpecierum intelligibilium. Illic ſe totum, & quantum in ſe habet nobis communicabit. Admirare *Conuiuium pinguium pinguium medullatorum.* Medulla eſt ſubſtantia magis abſcondita, & ipſis oſſium intimis viſcerata. Perpẽde quòd tibi Deus hoc in conuiuio tradet alimentum illam ſuam maximè abſconditam ſubſtantiam, illam de qua dixit: *Non videbit me homo & viuet*, illam, ad Exo. 33. 20.
quàm in ſua natura nec ipſi ſupremi Seraphini ſuo accedere poſſint intellectu, illud abſconditum, quod *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* Et qua ratione dabit electis ſuis Deus, hunc cibum, quo ipſe ſuſtentatur? Ad huius expoſitionẽ intelligi poteſt illud Dauidicum: *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu* Pſ. 44. 10.
*deaurato circumdata varietate.* Conſtituere aliquem ad dexteram ſuam, eſt eum ſibi facere coæqualem. Hâc loquendi formulâ declarauit Dauid æqualitatem filij cum Patre. quia dixit illi: *Sede à dextris meis.* Hoc quoque profitemur: *Sedet à dextris Dei:* quia in quantũ Deus, Pſ. 109. 1.
æqualis eſt Patri, & in quantum homo locum obtinet eminentiſſimum. Quocirca vult Dauid dicere: voluiſti dilectam ſpõſam tibi facere coæqualẽ, tradis illi quod poſſides & maximũ & pretioſiſſimum. Num fortè eſt Eccleſia vel ipſa anima Deo æqualis? Nequaquam, ſed innuit quòd eam ſibi faciat æqualem in quantum illi concedit iiſdem frui bonis, eaſdemque diuitias poſſidere. Ita vt nullo alio ſit Deus glorioſus, nec bonis aliis opulentus, quàm ea ipſa gloria, ac diuitiis, quas in cælo ſponſæ ſuæ concedit poſſidendas. Clariùs explicat. *In veſtitu deaurato, circumdata varietate:* veſtitus omnium ditiſſimus, eſt veſtis Attica, ex auro contexta. q.d. eam reddis æqualem, dum eam induis eadem Attica veſte gloriæ, ſeu polymita cum varietate licet enim ex eadem & æquè pretioſâ tela ſit veſtitus deauratus, qui puſillo texitur, ſicut qui & magno; at multo maior eſt veſtis vnius quàm alterius ſecundùm corporis magnitudinem. Sic quoque & idem erit Deus, eadem

 eius

eius eſſentia, eædem eius diuitiæ, quæ ſanctis
communicabuntur ad cuiuſque menſuram meritorum, in quo glorioſa varietas elucebit.

### §. 15. *Illic erit gaudium impermixtum, quale hic nullum reperitur, ſed pœnis permixtum.*

29 EXaggerat Propheta hoc Dei conuiuium, in
quo vinum haurietur *vindemiæ defæcatæ*, id
I. Vinum Symbolum eſt lætitiæ. eſt vinum meracum. Apud omnes Auctores,
tam ſacros quam prophanos, & apud quaſlibet
hominum nationes, vinum, ſymbolum eſt lætitiæ, & gaudii omneſque conſentiunt dicto Dauidis.
*Vinum lætificat cor hominis.* Quinimo
*Pſal. 103. 15.* narrat Spiritus S. quod alius introduxerit loquentem vineam, quod inter omnes terræ plantas,
*Iud. 9. 13.* fructus eius talis eſſet, qui *lætificat Deum & homines.* Aſſerit, quod Deum lætificet: eo quod
ipſe Deus ſtatuerit, vt in ſacrificiis lætitiæ, vi-
*Exod. 29. & nu. 25. & 28.* num funderetur, & hinc Gentiles hoc ſumpſerunt, vt quod omnium primum Diis ſuis offerrent, eſſet vinum pretioſiſſimum. Nominatim
vero vinum offerebant (inquit Iuſtinus Martyr) in ſacrificiis Solis, quem vt ſupremum Deũ
venerabantur, & vocabant: *Mundi lætitiam.* Vnde Poetarum facile Princeps Virgilius vinum
*Virgil L. 1. Æneid.* appellabat; *Munera lætitiamque Dei.* De quo
mira refert Philo ab omnibus auctoribus auctor
habitus irrefragabilis quod igitur dicit, quod in
illo conuiuio Deus electis ſuis vinum propinabit pretioſiſſimum, merum, *vindemiæ defæcatæ*
*L. De plantat. Noe ad finem & li. de Temulentia* per hoc innuit, quod eos lætitia perfundet puriſſima, ac mero deliniet gaudio, ſine vlla ſeu parua
ſeu magna vllius triſtitiæ ſeu doloris permixtione. In hac vita, nullum tale cognoſcitur vinum,
cum nullum ſit gaudium tam purum, quod non
ſit lymphatum ac fæcibus ſpurcatum. Hoc optime dixit, qui de illo biberat ad ſatietatem, Rex
ſcilicet Salomon, qui huius miſerrimæ vitæ varios enarrans euentus ait, *Riſus dolore miſcebitur,*
*Pro. 13, 13* *& extrema gaudii luctus occupat.* Non ait dolor
riſu miſcebitur, quia dolores tam meros haurimus, vt nec riſus vmbra ſeu gaudii guttula illi
miſceatur, nobiſque occurrunt, ſic vt nec rimulam relinquant, ne vni quidem paſſui aut veſtigio conſolationis: & ſæpe numero ſuccedunt ſibi inuicem, ita vt dolor vnus alteri & alteri connectatur ac commiſceatur, & quocumque oculos converteris, nihil niſi labores offendis, nihil
niſi dolores apprehendis. Iobum affligit triſtis
nuntius, a Sabæis armenta boum ac aſinarum
referens ablata, huic riſus non ſuccedit, nec
gaudium; ſed tribulatio grauior, accurrit nuntius alius, quaſi mala ſibi inuicem innectens, qui
dicat; *Ignis Dei cecidit e cœlo & tactas oues, pueroſque conſumpſit.* *Iob. 1, 16.*
Huic alter ſuccedit, qui inter alia hæc triſtia nuntiat: a Chaldæis direptos
camelos, percuſſoſque pueros gladio. Et dum
ſperandum ſibi foret aliquod a filiis leuamen
tribulationis, adeſt alter, qui referat illos ſub ruina domus contritos ſepultoſque miſerando infortunio: dum autem in ſe reuerſus ſibi poſſet
de ſanitate gratulari, cum iam illi cætera deeſſent, en a capite vſque ad calcem totus lepra conſperſus ſedet in ſterquilinio, dolorum pœnarumque colluuies, dum ſibi inuicem manus dant, &
vna alteri pœna concatenatur dolorem dolori
ſuccedere pœnam pœnæ connecti exemplo diſcis quotidiano, verumtamen ſine dolore gaudiũ,
ſine luctu tripudium, ſine mœrore riſum, quis
inueniet? dum enim riſus tibi offertur occaſio,
continuo accurrit dolor, qui vinum diluat & ne
ſit purum infuſcat, *Riſus dolore miſcebitur. & extrema gaudii luctus occupat.*

Maxima Saræ offertur anſa lætitiæ, dum ſe
prægnantem læta demiratur, omni iam ſpe ablata filios generandi: quocirca eſt effuſa in riſum
dum ei Dei nuntius filii prænuntiat natiuitatem, cum eius ſterilitati ſenectus ſuperueniſſet:
*Gen. 21. 6.* tantoque gaudio demulcebatur, ut filium iam natum Iſaac cenſuerit appellandum, id eſt riſum:
*Riſum fecit mihi Deus.* Confeſtim vero gaudium
illud dolore & anxia ſollicitudine diluitur: videt
Agar ancillæ filium, in filium ſuum inſurgentem
eum contemnentem, perſequentem, vnde continuo agitata tumultu de remedio cogitat, litibuſque cum Abraham marito contendit animoſa. Geſtiebat præ gaudio Rebecca iam partui
vicina, poſt multos annos in matrimonio fruſtra
conſumptos; & vt ob rem quam adeo ſitienter
expetierat, imo ſibi vita chariorem ducebat
ſumma lætitia perfundebatur: attamen, mox ſuccedit dolor, quem vtero ſuo ſentiebat vehemen- *Ge. 25, 22*
tem ti mirum, *Collidebantur in vtero eius paruuli,*
quo ad portas mortis funeſta rapiebatur: vnde
triſtis exclamat: *Si ſic futurum erat, vt quid neceſſe fuit concipere?* Tanta lætitia exultat Rachel,
ſe a Deo ventris fructu fœcundam conſpicata,
quanto prius dolore ob ſterilitatis vitium contabuerat, at cito citius *Riſus dolore miſcetur,* dum
partus cruciata tormentis, hæc eius nouiſſima
fuerunt verba, quibus anima eius corpore euellebatur, & hoc extremum perorat, vt natum filium vocarent Benoni, id eſt filium doloris: tantopere enim ex partu cruciatu torquebatur: vt ani-
mam

mam exhalaret, amitteretque vitam mater doloroſa.

Hic igitur illorum verborum eſt ſenſus: *Extrema gaudii luctus occupat.* Trahit ſecum gaudium concatenatum & ſibi connexum planctum dolorem, & ſi primum naſcitur Eſau, illum ſequitur plantam manu tenens Iacob: ſed nec taliter qualiter, ideſt luctus, ſed *occupat*. totum occupat, totum contegit: quo loquendi modo Spiritus S. declarat, ſine vlla comparatione multo grauiorem eam eſſe tribulationem ſeu luctum, quem male fauſtus tibi adfert euentus, qui gaudio ſuperuenit inexſpectatus, quam lætitia fuerit ex proſperis concepta ſucceſſibus. Quantum oboritur gaudium parentibus ex filiorum proſpera valetudine, virium robore, formæ elegantia, morum affabilitate vt vero ſuum compleant gaudium, illos iungunt matrimonio, ſed ecce mors illos hinc abripit inopina: prout illa proponit mulier de qua late D. Eſdras.

*4. Eſd. c. 9. & 10.*

Hinc, quantum auguror, ortum eſt illud quod notat D. Auguſt. & declarat Auctor Adagiorum Græcorum & Latinorum Paulus Manutius ex doctrina Macrobii, nimirum quod Romani templum duabus Deabus erexerint: ſcilicet *Volupiæ & Angeroniæ.* Erat autem Volupia Dea deliciarum, ſic dicta *a voluptate volupia*: illa vero hæc erat quæ voluptates, ſucceſſus proſperos, cuncta læta largiebatur. Angeronia, Dea colebatur, quæ curas, anxietates, ærumnas, dolores, lachrymas effundebat, dicta *Angeronia ab angore*. eo vero modo illas ſtatuebant, vt in centro ſeu medio templi Volupiæ coleretur Dea Angeroniaquæ oculos ſuos flecteret circumquaque, prout refert Pierius quaſi ſignificarent primo; dolores, ærumnas, angores in medio videri voluptatum, deliciarum, gaudiorum, & quod omnia hæc in illa, tanquam in centro conquieſcant Secundo; quod quolibet mitteret ſuas Dea Volupia delicias, eo ſequeretur, dolores pœnaſque immittens Angeronia; & quis dixerit, quod nihil tam ſerio ageret, quam videre circumquaque vbinam gauderent homines, vt eo ſtatim mitteret, ærumnas, pœnas, tribulationes. Ob quam rationem præfatus Auctor Adagiorum de quodam refert, qui hoc in ore frequens habebat, *vbi mel, ibi fel.* Hæc pluribus non indigent rationibus, quam percurrite domos veſtras, veſtra negotia. Dicito mihi, num vnquam gaudio te puro recreaſti, quod aliquo dolore non dilueretur, & quando non ſuccedit manifeſte, ſeu aperta fronte cenſere non poteſt illud ſummum ac permixtum eſſe gaudium, cum optime noueris quam cito finiendum, nec ſemper ſit tibi permanſurum.

*l. 4. de Ciu. cap. 11.*
*Paul. Ma. in Adagio: Nihil eſt ab omni parte beatum colu. 1134.*
*II. Duo templa Volupiæ & Angeroniæ.*
*Lib. 36.*

Huic nixus veritati ſubtilem defendit Diuus Auguſti. contra quoſdam Philoſophos doctrinam. Refert eorum quoſdam tam varios imo fuiſſe tam infelices in intelligendo, in quo noſtra conſiſteret ſumma beatitudinis, vt inter eos tenerentur ducentæ & octoginta opiniones diſcrepantes, quas ex Marco Varrone celeberrimo inter Græcos, & Latinos Auctore colligit. *In* particulari vero diſputat contra eorum plurimos qui beatitudinem docebant conſiſtere, in bonis & quiete huius vitæ. Hac citata ſententia, tantam ridet inſaniam; totus enim orbis hoc nouit, beatitudinem eſſe ſtatum, qui bona continet ſine malis, delicias ſine doloribus, & ſine triſtitia delectationes; hoc vero omnino eſt impoſſibile in huius vitæ ſtatu, in quo ſine vlla comparatione plura ſunt mala quam bona, mœrores quam voluptates, etiam fortunatiſſimis miſeriæ ac calamitates tot ſunt vt eorum capitis excedant numerum capillorum.

*Et quis ſufficiet* (inquit) *quantouis eloquentiæ flumine vitæ huius miſerias explicare, quas lamentatus eſt Cicero in morte filiæ? quis dolor contrarius voluptati? quæ inquietudo contraria quieti? &c. quod bellum concupiſcentiis?* Tanto Cicero filiam Tulliam amore complectebatur, vt ex partu, moriens; tanto Patrem dolore afflixerit, ut licet cum conſolari conati fuerint per litteras Pompeius, Cæſar, & Seruius Sulpicius nihil effecerint: vnde ait, quod animo conceperit librum conſcribere, quem prænotaret; *De morte filiæ* cui totum eloquentiæ ſuæ flumen infudit, huius vitæ deſcribens calamitates. Eſt autem ille, de quo D. Aug licet modo non exſtet. *Hic* (inquit D. Bern.) *nonnulla ſunt pulchra, ſed mixta non pulchris, vt lilium inter ſpinas.* Quot ſpinæ infirmitatum lancinant valetudinem? quot ſtimuli pungunt diuitias? quæ cura filiorum non obruit parentes? quæ deſolatio filiis deſtitui? quæ ſollicitudo locum ſeruandi honoratiorem? quas ſuſpiciones ingerit amicorum fiducia? quos infert timores prodire in publicum? quis exedit triſtis animus domi concluſum? quod frigus premit hyeme? quis in æſtate calor? quis labor continuus vt ſe in Principis conſeruet gratia eius familiaris? quod ſtudium illam obtinendi? &c?

*D. Aug. l. 19. de Ciu. c. 1. & 4. Tom. 5.*
*Serm. S. Martini. D. Bern.*

In hac vita non tribuit Deus gaudium perpetuum, bene quidem in altera, exinde pronuntiat David de Chriſto: *Fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: de vita vero beata loquitur D. Ioannes, quod ſit arbor, fructum proferens indeſinenter

*Pſal. 1. 3.*

Notat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notat illud. *Dabit*, quod ponit, dum de Chriſto loquitur. Arbores terræ fructum non dant ſed hoc tantum de illis dicitur, quod ferunt fructum. Ita ſignat D. Ambroſ. *Ligna terra fructum non dare, ſed ferre dicuntur.* Dare quippe ſupponit voluntatem: proprie loquendo Chriſtus libere dat, perfectaque liberalitate: *Dat omnibus affluenter: lignum vitæ & ſapientiæ,* ait D. Ambroſ. *Dat fructum, hoc eſt, largitur donat* Expendit ſecundum: *In tempore ſuo.* In beata illa vita, dat continuo fructum ſuum, vt vidit D. Ioannes, quod ſemper daret & ferret fructus ſuos. At in hac vita, nequaquam. Hic enim ſumus, in ſtadio ad prœliandum, vbi neceſſe eſt virtutum ſit exercitium, proinde conuenit aliquo nos tempore illis deſtitui: *Si lignum ſapientia eſt, cur in tempore dabit, & non ſemper? Poteſt* (inquit) *ſapientia ſemper fructum dare, ſed quia ſapientia eſt, debet ſapienter dare, diſpenſare prudenter. Et tu legiſti: quia diſpenſatorem fidelem, & prudentem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram in tempore, vtique non ſemper. Tunc debet ſemper dare* (ſcilicet in cœlo) *quando nos plenam menſuram meremur accipere Sicut hic extremum tempus fructum, ita illic dabit fructum bonis indeſinentibus, vt reſurrectionis eius conſortium capere ac ſeruare poſſimus. Nunc non poſſumus in hoc ſæculo non ſuſtinemus. Hic enim corruptela eſt, & cauendum eſt, ne corrumperemus bonos fructus, quos lignum vitæ daret, quia nunc corrupti, illic autem incorrupti*

D. Am. In Pſ. 1 Tom. 4.

D. Augu. L. Medit. c. c. 21. & l. Mann. c. 8. Tom. 9.

Hinc tantum tædebat D. Aug. vitæ præſentis quantum ipſe præclaris hiſce verbis nobis exponit. *Tædet me Domine, valde vitæ huius, & iſtius ærumnoſæ peregrinationis. Vita hæc vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita labor oſa vi: a immunda, plena miſeriis & erroribus, quæ non eſt vita dicenda, ſed mors, in qua momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diuerſis generibus mortium. Numquid ergo hoc quod vidimus in hoc mundo dicere poſſumus vitam? quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aer morbidat, eſcæ inflant, ieiunia macerant, ioci diſſoluunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitiæ inflant & iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & iis malis omnibus mors furibunda ſuccedit, ſimulque cunctis gaudiis iſtius miſeræ vitæ ita finem imponit, vt cum eſſe deſideret, non fuiſſe putetur mors iſta vitalis, & vita mortalis,* &c. Tranſtulit valde congruenter hæc verba Ribadinera auctor modernus. Alio vero loco. Sic eleganter vitam hanc deſcribit. *Vita, quæ ſicut umbra lunatica euaneſcit, ſicut flos in arborem creſcit, & ſtatim marceſcit, nunc floret & ſtatim aret, vita, inquam, mea, vita fragilis, vita caduca, vita, quæ quanto magis creſcit, tanto magis decreſcit, quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Vita fallax & vmbratica, plena laqueis mortis.*

D. Augu. l. ſolil. loqui c. 2. Tom. 5

*Nunc gaudeo ſtatim triſtor: nunc vigeo, ſtatim infirmor, nunc viuo ſtatim morior: nunc felix appareo, ſemper miſer: nunc rideo, iam fleo: ſicque omnia mutabilitati ſubiacent, cum nihil vna hora in vno ſtatu permaneat: Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc ſitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat. Subſequitur iis importuna mors, quæ mille modis quotidie miſeros omnes inopinate rapit; hunc necat febribus, illum opprimit doloribus, hunc conſumit fames, illum ſitis extinguit, hunc ſuffocat aquis, illum interimit laqueo, illum perimit flammis, alium dentibus beſtiarum ferocium vorat, hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit, alterum tantum repentino terrore miſeram vitam finire compellit. Et nunc ſuper hæc omnia magna miſeria, quia cum nihil certius morte, ignorat tamen homo finem ſuum, & cum ſtare putat, colliditur, & perit ſpes eius. Neſcit enim homo, quando, vel vbi, vel quomodo moriatur; & tamen certum eſt, quod eum mori oporteat.* Hinc duo elicit D. Au. Primum quod vita hæc, mors potius quam vita ſit nominanda. Hoc doctiſſimis probat rationibus & particulariter idem confirmat his Chriſti verbis *Qui credit me, tranſit a morte ad vitam.* An non congruentius diceres o Domine, Tranſibit de hac vita ad alteram, de hac temporali ad illam æternam, de hac terrena ad illam cœleſtem? Minime: quia nec quidem cum his epithetis temporalis, terrena & corruptibilis vitæ nomen meretur, ſed mortis: nec mireris (inquit D. Au.) quod illam hoc nomine vocauerit, qui tam diſtincte nouerat rationẽ vitæ ac mortis, ſicut ipſe Chriſtus, quinimo & ipſe Cicero, ſolo lumine naturali, hanc ita vocauit: *Hæc vita quædam mors eſt, quam lamentari poſſem, ſi liceret.* Secundum; ingentem hinc elicit admirationem, ſatis enim demirari non poteſt amorem quo vitam hanc, cum talis ſit, proſequimur, &c. de quibus alibi.

L. 13. de trin. c. 10. & retulimus Tract. 18. 239. & ſ. 99. Epiſt. 119. ad Sanna & Ep. 119. ad Ianuar. & epiſt. ad Prob. cap. 1 Ioan. c. 5.

Tract. 1 8 173. 174.

Attamen in monte vinum propinabitur meraciſſimum, defœcatum, *Vindemiæ defæcatæ*: gaudium enim, deliciæ, ac cordis lætitia ab omni tœdio, mœrore ac triſtitia, puriſſima erunt, & expurgata. Hoc olim dictum eſt D. Ioa. dum ei lo[illegible] ſplendor quidã ac ſpecies offerebatur: *[illegible] tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit [illegible], &c. Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus,*

Apoc. 21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*luctus ; neque dolor erit vltra.* Sine morte vita, ſine mœrore gaudium ſine infirmitate ſalus, ſine dolore voluptas, ſine periculo ſecuritas : totum gaudium purum, mera voluptas, defœcata

D. Avg. l. Solil. c. 35. In fine expoſition. ſeptem Pſalm. pœnitent. Tom. 9.

lætitia. *Ibi* (inquit D. Auguſt.) ex quo ſumpſit D. Gregor. *gaudium infinitum, lætitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, via ſine labore, lux ſine tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine omni malo, vbi iuuentus numquam ſeneſcit, vbi vita terminum neſcit, vbi decor numquam palleſcit, vbi amor numquam tepeſcit, vbi ſanitas numquam marceſcit, vbi gaudium numquam decreſcit, vbi dolor numquam ſentitur, vbi gemitus numquam auditur, vbi triſte nihil videtur, vbi lætitia ſemper habetur, vbi malum nullum timetur, quoniam ibi ſummum bonum poſſidetur.* Stupeſco referens; ſunt autem illa verba, quæ adiungit, poſtquam huius miſeræ vitæ deſcripſit calamitates, illam æternæ opponens.

§. 16. *Tantum eſt cæli gaudium vt melius dicatur, quod homo intret in illud, quam ipſum in hominem.*

☞ 31 Matt. 25. 21.

IDcircò dicit Chriſtus ſe dicturum ſeruo fideli : *Intra in gaudium Domini tui.* Mirare modum loquendi. Quis in quod intrat? voluptas, ſeu gaudium in animam, vel anima in gaudiũ? Noſtro hoc modò intelligimus, quod gaudium intret in cor, & non è conuerſo. Sic eſt

Manu. 4. c. diò. vltim.

(annuit D. Aug.) Illic portò fiet oppoſitũ, primò eo quod noſtrum hic gaudium tam ſit modicum, vt capi poſſit in re tam exigua, vt eſt cor humanum, ſed nec illud vnquam totum adimplet. Tantum verò illic erit gaudium, tanta voluptas, vt nullum ſit cor, anima nulla, quæ poſſit illud concludere, ac comprehendere, quocirca dicitur, quod cor intrabit in gaudium. Poculi aquam de facili corpore tuo comprehendis, nec ſatiaris, at magni fluminis, vel Oceani, quis hãc dicat poſſe, corpore tuo comprehendi, quin potius totũ illa ſubmergetur, nec erit poſſibile illam in te intrare, bene quidem te in illam. Exiguæ ſunt mundi huius voluptates, breues, leues hauſtus quos bibimus, & ſubito euaneſcit quod attulerunt refrigerium & deliciæ quas ex illis haurimus. In illo cœleſti mõte, gaudium eſt inſtar maris immenſi, fluuij rapidiſſimi, qualem

Ezech. 47.

vidit Ezechiel de templo profluentem, tanta aquarum abundantia, vt illas non eſſet qui vaderet, ſed certo ſubmerſionis periculo exponebatur periturus, qui illas pertranſire præſumpſiſſet. Poſtmodum idem vidit D. Ioãnes, quando ei cœleſtis illa Hieruſalem monſtrabatur: *Et oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem à ſede Dei & Agni.* Apoc cap. 22. 1.

O quàm puræ aquæ, quàm ſplẽdidæ, quàm trãſparentes, vt nec ipſum puriſſimum cryſtallũ tam pellucidum cenſeatur. Et quas credis illas eſſe aquas, quæ procedunt ac ſcaturiunt velut à fontis origine: *A ſede Dei & Agni?* Altiſſimum hic ſuſpicio myſterium: nimirum, quod gaudij æternæ beatitudinis aquæ, ac gloria procedens, ex fruitione duorum, Dei ſcilicet in ſua eſſentia & ſubſtantia, ac Chriſti agni Dei in quantũ homo eſt. Ita cenſet Theologorum Raphael D. Thom. 1. 2 q. 2. a. 6. & 7.

obiectum principale beatudinis ſeu totius gloriæ cœleſtis, ſunt myſteria Dei, & Chriſti attributa & excellentiæ diuinitatis Dei, & prærogatiuæ ac eminentiæ Chriſti Domini humanitatis. Proinde procedet hæc primariò ex viſione Dei, & Chriſti, ſecundùm id quod ipſe Chriſtus dixit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioan. 17. 3.

Secundò vtitur Chriſtus hac formula deſũpta metaphora ab eo qui mare ingreditur, eiuſq; vndis immergitur: totus enim mari cooperitur, ſic vt nihil ſit eius quod mari non abſorbeatur; hoc modò erit gaudium in cœlo, vt totus illo immergaris ac abſorbearis ſic vt nihil ſit quod illo non abſorbeatur, intellectus viſione Dei, voluntas amore diuino, anima gloria integerrima, totius deniq; Deus tibi ſit inuiſceratus, vnde in anima dignitas orietur tam diuina, vt Deus eſſe videatur. Corpus autem ex omni parte erit gaudio delibutum, dotibus claritatis, ſubtilitatis, agilitatis & impaſſibilitatis, ſenſus obiectis replebuntur quæ omnem excedãt intellectum, oculus viſione Chriſti, cuius tam ingens ac ineffabilis eſt pulchritudo, vt eius vnica manus quã videndam exhibuit D. Thereſiæ, tanto mentem eius gaudio deliniuerit vt ſi Deus cor eius nouâ ſuâ gratiâ non roboraſſet, nimio gaudio ſcilsũ fuiſſet. Viſione quoque puriſſimæ ac virginis immaculatæ Mariæ, cuius pulchritudinem nedum ſol, luna, ac ſidera mirãtur, ſed ipſi ſupremi omnium Seraphini. Quod ſi viuens adhuc in mundo caduca hac & mortali vita; eius tam elegans fuerit forma venuſtatis, vt D. Dionyſius in illam ſententiam declinaret, dum eam vidit, quod niſi eum fides aliud doceret, firmiter teneret, nullum dari poſſe bonum excellentius aut beatitudinem feliciorem, quàm eius frui conſpectu. Quid cenſendum, quando in cœlis iam regina regnat glorioſa? hæc etenim ſola

I. Similitudo.

vt ſentit D. Bern.) ſufficit, vt totam Dei lætificet ciuitatem. Quid ergo cæteros omnes beatos contemplari, quando eorum minimus, omnibus ſtellis formoſior erit, pulchriorque matutinis? Aures ineffabili gaudio reſonabunt, cœleſtibus illis melodiis, illis inquam, quarum vel vnicus cytharæ pulſus auribus Seraphici Patriarchæ Franciſci perceptus, cum totus eſſet æger, hanc ab eo extorſit confeſſionem, nullum eſſe cordis creati vaſculum tanto capax gaudio recipiendo, quali ipſe tum temporis demulcebatur, ſic vt niſi diuina manu fuiſſet ſuffultus, certo ſe ſciret dirumpendum.

D. Avg. l. Manual. 67. Tom. 9.

*Nihil omnino quod cõturbet mentem, ibi auribus datur* (inquit D. Aug.) *quæ cantica? quæ organa? quæ cantilena? quæ melodia ibi ſine fine decantantur? ſonant ibi ſemper melliflua hymnorum organa, ſuauiſſima Angelorum melodia, Canticorum mira, quæ ad laudem & gloriam tuam à ſupernis ciuibus decantantur. &c.* Olfactus repletur talibus odoribus, vt eorum vel minimo percepto à D. Aug. dum mortuo D. Hyeronymo, eius ſibi apparuit anima; dicat; quòd vili fecerit quidquid in mũdo olfaciebat. Guſtus talibus ſaporibus vt in eius comparatione mundi totius deliciæ fel eſſe videantur. Hoc autem ſignificat, omni gaudio fore immergendos; ſicut vt Spiritus S. ſignificet miſerrimam malorum ſortem qui dolore omni ac pœna replebuntur, illud exponit illis viſionibus, quas D. Ioan. cõmemorat: vidit enim quod

Apoc. cap. 18. 21.

*ſuſtulit vnus Angelus fortis lapidẽ quaſi molarem magnum, & immiſit in mare.* Quo actu ac agendi modo ſignificauit, id quod ei verbis explicauit. *Dixit hoc impetu mittitur Babylon ciuitas illa magna, & vltra non inuenietur.* Per Babyloniam intelligitur malorum congregatio, ſecundum mentem D. Aug. ſeu quilibet peccator ſceleratiſſimus, iuxta illam regulam, quàm ipſemet ſtatuit de Tyconio.

In Pſ. 26. in illud Pater meus, &c. & in Pſ. 86. in illud: glorioſa dicta ſunt, &c. & l. 3. de doctrina Christiana c. 34.

32 Proponitur quoq; D. Ioanni infernus diuerſis in locis ſub figura ſtagni ignis ardẽtis, ſtuppa, ſulphure, pice, malleolis, ſimilis bulto Sodomitico, vidit autem illi viuos immerſos dæmones, eorumq; ſequaces: *Viui miſſi ſunt, in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* Tandem poſtquã illi gaudia demonſtraſſet beatorum, ſub forma fluminis copioſi cryſtallini, ad quæ victores admitterentur: oſtendit illi ſtagnum ignis terribilis, cui ait: hoc incenditur ignis ſtagnũ, incredulis, homicidis, impudicis, blaſphemis, mẽdacibus, &c. quibus indicatur, totã repleri gehẽnam doloribus, acerbitatibus, tormẽtis puris, omni cõſolatione, reſpiratione, diminutione, gaudioq; inpermixtis, quibus ita miſerrimi illi immergentur, vt nihil habeant, nec potentiam, nec ſenſum nec partem corporis vllam ſiue magnam, ſiue exiguam, nec animę, quæ ſtagno huic tota nõ immergatur, ſicut ſtagno quis immerſus, aqua totus abſorbetur.

& 37. Apoc. c. 19. 20. & 20. 9.

II. Infernus locus dicitur tormentorũ. Luc. 16. 28. Ecc. 39. 21.

Ea de cauſſa gehennam vocauit diues epulo, tormentum expertus, *locum tormentorum.* Erunt enim tormenta hæc omni conſolatione deſtituta. Illis hieroglyphicis voluit Deus exponere gloriã beatorum in cœlo, & cruciatus malorum in inferno, dum ait: *Benedictio illius quaſi fluuius inundauit, & quomodo cataclyſmus terram arid. in inebriauit ſic ira ipſius gentes, quæ non exquiſierũt eum, hæreditabit.* Erit benedictio Domini electis ſuis vt fluuius inundans, qui totos illos & per omnia gaudio ac gloria replebit à capite ad calcem: ſicut damnatis diluuium erit ignis & tormentorum, quod totos illos & totaliter abſorbebit: vt contigit iñ diebus Noë quãdo aqua montes cooperuit, mò etiam tranſcendit quindecim cubitis altiſſimos. Hoc igitur Dominus innuit, quòd electis vinum fundet meracum, defœcatum, gaudium adeò perfectum, plenũ, merum, vt nullo alio, quod gaudiũ non ſit, miſceatur. *Amaritudo & omnis fellis aſperitas* (ait D. Aug.) *in regione illa locum non habent, non enim eſt ibi malus, neque malitia, non eſt aduerſarius neque impugnans, nec eſt illa peccati illecebra, nulla eſt ibi indigentia, dedecus nullũ, rixa nulla, nullum improperium, accuſatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla diſcordia, ſed eſt ibi pax ſumma, claritas plena, iubilatio & laus Dei æterna, ſine fine ſecura requies, & gaudium ſemper in Spiritu S.*

D. Avg. Lib. Manu. c. 6. To. 9.

In ordine ad hoc exponit D. Chryſo. a quod ait Apoſtolus b: *Quod tũc & creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Sumit ab eo metaphoram, qui in ſignũ ſeruitutis, ac recognitionis omniũ quæ poſſidet ſoluit tributũ ac vectigal. Tali ſubiicitur hic homo, ſeruitute preſſus miſerãda, nihil habet, cui tributum nõ ſit impoſitum, vitæ, ſaluti, ſenſibus, bonis corporis, animæ deliciis, &c. Ignoſcat mihi Deus, quis iuſto numero hæc omnia vectigalia quæ ſoluit cõprehendat, quales dolores in corde? quales in intellectu errores, ac difficultates? In volũtate qualis triſtitia? quanta in memoria obliuio? infirmitates in corpore, Cephalææ in capite, lippitudines in oculis, in auribus fluxus, in dẽtibus cruciatus, obſtructiones in pectore, debilitates in ſtomacho, offẽdicula in pedibus, impedimẽta in manibus, ſarrãpiones, colicæ, podagrę, lepra, variolæ papulæ quot afflictiones in vita, quot grauia diſcrimina

a Epiſt. 5. ad Theod. Lapſum. b Rom. 8. 21.

toto.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

toto vitę decurſu? Et bene quidē:cū enim naſca-
tur homo filius Adæ,naſcitur & ſubditus ac tri-
butarius omnibus miſeriis, imo & ipſi morti
vectigalis. Ita quoq; ipſe proteſtatur Salomon;
dum ſuam in hunc mundum intrantis cœpit mi-
ſeriam deplorare; *Primam vocem ſimilem omni-*
Sap.7.3. *bus emiſi plorans* &c. *Nemo enim ex Regibus aliud*
*habuit natiuitatis initium* Attamen beatæ vitæ
illius ingrediens palatium, naſcetur homo filius
Dei,per gratiam perfectam ac conſummatam,
in ſtatu gloriæ, diuina ac cœleſti natiuitate,
quam in feſtis Sanctorum celebrat Eccleſia,dum
eorum defunctionis diem,diem vocat Natalitio
rum: *Natalitia celebramus.*

In illa vero vita, omnis ſoluetur ſeruitus,
33 ceſſabunque vectigalia, nihil erit ſoluendum,
Lib. Man. *Creatura liberabitur*,ac illud implebitur, ait D.
c. 36. Aug.quod Chriſtus Apoſtolis dixit,vt peterent:
Ioa.16,24 *Vt gaudium veſtrum ſit plenum.*Magnum habent
pondus,verba illa,*Gaudium plenum*, id eſt,quod
in nullo deficit, nec ſit per quod poſſit intrare
D. Augu. vel pœna, vel vlla calamitas. *Vbi* (dicit D Aug.)
Lib.Medit *eſt ſempiterna vita,ſempiterna beata,vbi eſt amor*
c.17.To.9. *perfectus,& timor nullus,vbi eſt Deus æternus, &*
*vnus omnium ſpiritus, vbi eſt ſumma & certa ſe-*
*curitas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla iu-*
*cunditas,& iucunda felicitas,felix æternitas,æterna*
*beatitudo, & beata ſine fine viſio* &c. (Et iterum)
Li.Man.c. *Vbi gaudium ſine mœrore,dignitas ſine tremore,opes*
7. *ſine amiſſione,ſanitas ſine languore,abundantia ſine*
*defectione,vita ſine morte,perpetuitas ſine corrup-*
*tione,beatitudo ſine calamitate.* Nec adferre po-
terit dolorem timor tale perdendi bonum, quaſi
finiri poſſet:etenim erit perpetuum: *Delectatio-*
Pſ.15,10. *nes in dextera tua vſque in finem.*

Hoc ſignificare voluit Deus, quando locum
illum oſtendit Vati ſuo Ezechieli in veteri te-
ſtamento, & dilecto ſuo diſcipulo Ioanni in no-
uo, cui ciuitatem oſtendit pulcherrimam,ſplen-
Ap.21.16. didiſſimam, ditiſſimam, abundantiſſimam, vt
vterque exponit, & ait:*Erat ciuitas in quadro.*
Figura quadrata ſymbolum eſt ſecuritatis ac per
petuitatis:quia lapis quadrus, quacumque eum
parte ſumis, vel ponis, cadit ſecurus ac firmus.
Hoc erit huius beatæ ciuitatis priuilegium: vt
quicumque illam fuerit ingreſſus, inde num-
quam ſit exiturus; *Qui vicerit faciam eum co-*
Apo.3.12. *lumnam in templo Dei mei, & foras non egreditur*
*amplius.* Idemque dixerat Abraham Patriarcha
Lu.16.26 diuiti epuloni. *Qui volunt hinc tranſire ad vos*
I. 33.20. *non poſſunt neque inde huc tranſmeare.* De hoc
quoque eam Deus laudauit per Iſaiam: *Reſpice*
*Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ.* Attende quo
eam nomine compellet, ciuitatem ſolemnitatis
Dei. Et quæ iſta? *Oculi tui videbunt ciuitatem*
*opulentam, tabernaculum quod nequaquam trans-*
*ferri poterit,quia ibi ſolummodo magnificus eſt Do-*
*minus:* Verba ſunt hæc talia,vt vnumquodque
eorum materiam miniſtret mille concionibus.
O Chriſtiadæ,oculos attollite, & videte cum fi-
lio prodigo iſtam diuini Patris veſtri domum at
tendite,quot miriades, qui eius fuerunt merce- Lu.15.17
narii, *Abundant panibus.* Vos vero fame perea-
tis:*Ego autem hic fame pereo.* Quid agitis ſini-
ſtro ſidere nati:ob voluptatis quodpiam ſpecta-
culum,tauros,torneamenta, luctas, vt ſol vos a-
durat,ventus moleſtet: & tandem quid niſi aer,
qui flatu vnico euaneſcit. Quid molimini, vt
vel paruo tempore genio indulgeatis? vt eius
conuerſatione lætemini,quæ vobis arridet, vt
alterius conſpiciatis venuſtatem, quæ cito aere
diſpergitur? Quid fame tabeſcitis, voluptatum
deliciarumque amatores? Quid agitis, vt pro-
ſpera valeatis ſalute qua licet hodie lætemini,
cras perditam lugebitis? Quæ ſolicitudo vt vi-
tam ſeruetis incolumem: & quid eſt niſi ven-
tus? Oculos ſurſum erigite, intuemini quod
poſſitis obtinere, &c.

§. 17. *Deſſoluetur vinculum, de quo Prophe-*
*pheta, grauitatis carnis, quæ quatuor do-*
*tibus præfulgebit, quas numerat Apoſto-*
*lus.*

His non finiuntur aut concluduntur huius 34
bona conuiuii,ſed & aliud a Propheta pro- Iſa. 25.7
ponitur ſummi gaudii obiectum. Et quod
illud? *Præcipitabit in monte iſto faciem vinculi*
*colligati.* Hoc verbum *Præcipitabit* declarat D.
Hieron. ſignificare, *abſorbebit*, & in Hebræo re-
petitur idem verbum, *Præcipitabit vinculum,vin-*
*culum*:quod more Hebræo ſignat plura & for-
tia,vincula,q d.Deus hic præcipitabit, commi-
nuet ac confringet multa & grauia vincula,qui-
bus conſtringimur. Ænigmatica verba, quibus
gloria corporum exponitur, qua beati in mon-
te illo gloriæ præfulgebunt, quæ in illa ex ani-
mæ gloria redundabit. Quod in hac vita ani-
mas affligit vincula ſunt, compedes, laquei, &
nodi cœci, quibus illa colligatur his corpori-
bus,infirmis,grauibus,putreſcentibus. Si prin-
ceps illuſtriſſimus, at pauper in matrimonium
ſibi ſumeret mulierem vilem,rudem,infirmam, I.
plagis,ſanieque defluentem, quæ continuis ge- Similitu-
mitibus acta compleat,aures eius triſtibus nœ- do.

mis offendat, & quod omnium peſſimum, quæ ne obolum quidem haberet, vnde ſibi veſtem emat, nec dotem qua ſuæ ſubueniat paupertati: quis hinc dolor quis cruciatus? quàm illi indignatus, quæ ſibi cum illa moleſtiæ? quæ mentis acerbitas, dum ſe plangit matrimonii vinculo numquam diſſoluendo colligatum? Hæc ſunt illa vincula, quæ ſpiritus perfert, quibus corpori colligatur: Deſponſatur ille carni quo die in matris viſceribus concipimur: Spiritus illuſtris Deo ſatus, Dei ſpiraculum, de quo dicitur: *Genus ſumus Dei.* Caro verò vilis, de Adamo
*Act. 17. 29.* patre terreno progenito: *De genere terreni illius, qui prior formatus eſt.*
*Sap. 7. 1.* Spiritus, alacer, excitatus, ſanus, leuis, nullis febribus, nullis infirmitatibus, nullis ſubiectus doloribus. Caro autem grauis, infirmitatum xenodochium, &
*Iob. 14. 1.* languorum valetudinarium. *Repletus multis miſeriis.* Non diffiteor, ſpiritus inops eſt, vt ait Philoſophus, quia in ſui principio nullus dites.
*Rom. 7. 18.* *Tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum*; attamen illa multo ipſo ſpiritu pauperior: quæ ex ſe nihil habet boni; *Non eſt in carne mea bonum.* Et quidquid habet, hoc ei debet ſpiritus impertiri, vitam, eſſe, motum, ſenſus, actiones, venuſtatem, ſalutem, vires, conſiſtentiam; & cum ſit ille inops, parum poteſt illi tribuere,
*Pſ. 62. 3.* proinde ſemper mœſta gemit, lamentatur, obſecrat, ſuſpirat: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.*

Indigus eſt ſpiritus, & vt talis ſitit & optat plura, caro vero multo deſiderat plura; nunc cibum poſtulat, nunc potum, nunc veſtes, nunc ſomnum, nunc oculis remedia, nunc auribus, nunc capiti, nunc pedibus auxilium: *Quam multipliciter tibi caro mea?* Quod hoc vinculum, quàm forte? & quis nodus tam cæcus? vt vin-
*Sap. 9. 15.* culum eſt matrimonii, quod niſi morte interueniente diſſolui non poteſt. Hinc illæ grauedines, quas ſentit ſpiritus, illa onera quæ eum affligunt: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum mul-*
*Pſ. 141. 8.* *ta cogitantem.* Hinc voces illæ David: *Educ de cuſtodia animam meam.* Carceres, multi compedes,
*Ro. 7. 24.* manicæ, grauia vincula. Hinc illi D. Pauli gemitus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quali nomine notat corpus noſtrum? videtur illi alludere epitheto, quo illud Dauid ſignauerat, iuxta D. Ambroſ. expoſitio-
*D. Amb. Tom. 2.* nem. Benedicit Dauid viris miſericordiæ: & ait: *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, Dominus opem ferat*
*Pſ. 40. 2.* *illi ſuper lectum doloris eius. Quis eſt lectus doloris, niſi caſus infirmitatis, & bene lectus doloris, quia corpus eſt mortis, de quo ſe liberari deprecatur Apoſtolus, vt tanquam de tumulo quodam poſſit aſſurgere, in quo ægra jacet anima, & quaſi quodam decumbit in lectulo. Symmachus lectum miſeriæ dicit. Aquila, grabatum miſeriæ. Septuaginta viri lectum doloris putauerunt eſſe dicendum.* Corpus mortis hoc vocat. q.d. Lectus mortis, quo ſe recipiunt omnes eius famuli procuratores, nuntii, febres, podagræ, iſciades, cephaleæ, &c.

Tangere, ſentio Apoſtolum pœnam illam, quam crudelis inuenit tyrannorum ſæuitia, dixero melius, inferni malitia contra Sanctos Martyres, qui Sanctum viuum comprehendentes mille funibus per omnes partes alligabant corpori mortuo, putrido, vermibus ſcatenti, graui, ex quo fœtor vermium manabat intolerabilis, & qui de corpore mortuo naſcebantur, ipſum viuum erodebant. O crudele tormentum! Hoc eodem torquetur anima carni alligata, quæ ex ſe corpus eſt mortis: *De corpore mortis huius,* corruptione, vermibus fœtidiſſimum. *Corpus quidem mortuum eſt,* ait idem Apoſtolus. Verum- *Rom. 8. 10.*
tamen in monte illo conſumentur, ac confringentur horum nodorum ac compedum onera: tunc enim corpus non ſibi conuinciet animam, ſed ipſa dabit anima corpori leuitatem, claritatem, ſanitatem, libertatem, diuitias infinitas.

Iucundum ac nouum celebrabitur matrimonium: quale illud, dum Princeps illuſtriſſimus ſtulto inſanus amore ducit ſibi in vxorem ruſticam pauperem, eandem hoc matrimonio nobilitat, omnibus laceris illis, tritiſque panniculis exuit, & aulæ Regiæ polymitis ornat veſtimentis, cingit funibus, auro gemmiſque pretioſis, collo appendit monilia, dotat diuitiis immenſis. Ita quoque ſpiritus vehementer afficitur carni, & ex natura ſua ita ei inclinatur, vt quamdiu cum ea victurus non reuertitur, huius perpetuo ardeat deſiderio, eoque tanto vt dixerit D. Auguſtin. *a* quod doctè explanat *a Lib. 12. de Gen. ad litt. c. 35.*
D. Thomas *b* quod ſi aliquid poſſet impedire perfectum animarum gaudium, quo nunc in cœlo gaudent glorificatæ: foret illud deſide- *b 1. 2. q. 4. a. 5.*
rium, quo flagrant ſe cum corpore reuniendi; quod adeo viuum ardenſque credimus, vt D. Ioannes earum quaſdam audierit, orantes Deumque deprecantes, quo dies extremi judicii feſtinus eluceſceret, quia in illo earum implendum eſt hoc deſiderium. Effulgebit dies iſte, cumque Sanctorum ſpiritus futuri ſint gloriæ, bo-

norumque cœleſtium affluentia ditiſſimi, quinimo & ipſo Deo, quem in ſe gerent concluſum, & illa diuinæ eſſentiæ participatione nobiliſſimi qua Deo erunt ſimiles: *Similes ei erimus*, carni ſociabuntur ac iungentur matrimonio, illoque æterno, illam illuſtriſſimam reddent, ipſis cœlis nobiliorem, induent pulchritudine, ſtellis ipſis fulgentiore, defectus omnes tollent, corruptionem, ac mortalitatem. Tunc (aſſerit D. Bernard.) implebitur illud: *Inhabitet gloria in terra noſtra.* Terram dicit, corpus noſtrum, & hoc, ait, eſt quod vidit Iſaias: *Plena eſt omnis terra gloria eius.* Quem conceptum ſolerter, ac curioſe diuerſis concionibus de viſionibus Iſaiæ percurrit: dum enim Dominus in ſede Maieſtatis apparebit glorioſus, corpora Sanctorum perfecta gloria replebuntur.

1. Ioan 3. — Serm. 4. de omnibus SS. Pſ. 84. 10. — Iſa. 6. 3.

Sedula inquiſitione indagat, & expugnat D. Auguſtin. opinionem communem Philoſophis; qui defendebant, animam minime poſſe eſſe beatam, & corpori coniunctam: vt enim quid impoſſibile aſſerebant: cum corpus nihil aliud ſit, quàm morborum colluuies, corruptionis cumulus, grauis terræ ſaccus, vanitatum Synagoga, & miſeriarum hoſpitale; his animam non affici, ſi illam informet. Probat D. Auguſtin. ſententiam illam eſſe erroneam, & à veritate diſcordem; hoc ſuppoſito, quod corpus nec dolorem nec grauitatem inferat animæ, ſed ex ſua corruptione, mortalitate, & grauitate qua animam ſibi ligat cohærentem, quemadmodum grauis lapis pedibus annexus leuem aquilam ne ſurſum volet, detineret, quocirca non ait Spiritus ſanctus abſolutè, quod corpus aggrauet animam, ſed *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam* Hoc corpus adhuc mortale, corruptibile, morbibum, graue, *Aggrauat animam*: at ſolutis his vinculis, demptis his miſeriis, abſit vt animæ ſit oneroſum, quin potius illam recreabit; vt habitaculum, requies propria, propria domus, ad quod naturali fertur inclinatione. Eritque tum temporis corpus animæ gloria decoratum. *Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Erunt hominis: filij Dei per gratiam, qua anima fulgebit, gratia perfecta, æterna gloria, & ſe corpori coniungens has illi ſuas communicabit diuitias gloriæ: Nominatim autem infundet illi quatuor has dotes tam excellentes, quas exponunt Theologi ex doctrina D. Pauli claritatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem, & agilitatem, quibus matrimonium illud æterno gaudio celebratur.

D. AVG. Lib. 13 de Ciu. c. 16. & ſeqq. — Sap. 9. — Rom. 8. 22 — 1. Cor. 15.

*§. 18. Habebit corpus dotem claritatis, quam Apoſtolus dicit gloriam, & alias tres dotes, impaßibilitatis, ſubtilitatis, & agilitatis.*

PRimo radiabit corpus dote claritatis, quam D. Paulus vt notat D. Ambroſ. *a* ac proſequitur D. Thomas *b* vocat abſolute gloriam: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Erit autem dos hæc eminentiſſima, qua corpus noſtrum quolibet clariſſimo fulgebit auguſtius, ipſo auro defœcato, cryſtallo expolitò, vt ob hoc dixerit Iob (vt aduertit D. Gregor. *a*) *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum b.* Concluſit quoque Chriſtus his verbis: *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.* Hoc autem dicit (ait D. Chryſoſtom.) Non quod non clarius fulgebit, cum corpus etiam minimi beati Sole ipſo millies clarius refulgebit: ſed quia inter luminaria, nullum aliud nouimus ſole ſplendidius, ſed nec quidem ei ſimile. Ita expertus eſt S. Romualdus, cuius meminit Cardinalis D. Petrus Damianus, cum iuuenis eſſet formæ elegantia præſtantiſſimus, filius Ducis Sergii Rauennatis; quem cum Religioſus quidam vir multa in virtutum exercitiis claritudine inſignis, ad ſimilem optaret vitam reducere, adduxit illum in Eccleſiam, vbi corpus S. Epiſcopi ac Martyris Apollinaris colebatur, diſcipuli quondam D. Petri Apoſtoli, fide data, quod eiuſdem Sancti viſione recrearetur, ſi votum emitteret, aſſumendi vitam Religioſam. Ambobus igitur orantibus in templo, dum medium ſilentium tenerent omnia, en de ſepulchro reſurgit corpus D. Apollinaris, Pontificali indutum ornamento; reſplendens, & tam immenſa claritate circumfuſum, vt ſol eius comparatione, caligo videretur; thuribulo templum circumiens, eiuſdem altaria thure ſpargebat, & demum in ſepulchrum reuertebatur. Talis porro fuit hæc apparitio, vt Romualdus deinceps iudicarit, totum mundum tenebris inuolui, ſolemque vero candelam eſſe obſcuram ac emorientem; hoc quoque in eo egit, vt quidquid poſtmodum videret, vile lutum ac ſtercus arbitraretur, unde nuntium mundo remiſit, habitum aſſumpſit Religioſum, iugi rerum cœleſtium contemplationi deditus addictuſque altiſſimæ.

a Orat. de fide reſur. — b In 4. dist. 49. — 1. Cor. 15. 43. — a Lib. 18. Mor. c. 30. — b Iob. 28. 17. — Matt. 13. 14. — Hom. 14. in Gen.

I. Claritas corporis glorioſi qualis ſit.

Perpende modo quanta futura ſit illa claritas & aduerte, quòd corpus illud realiter erat mortuum, ſed necdum quoque omnem habebat claritatem, quam poſtmodum habebit, quando in die reſurrectionis illud informabit anima æternum glorioſa: Hoc tantum egit Deus, vt eius vel ſcintillam videret; qua plenè tum fulgebit claritate: en qualis illa futura. Hoc idem obtigit D. Bernardo, qui D. Auguſtini fautor & amator fideliſſimus, noſſe aliquid de eius ſtatu glorioſo præoptabat, ac nocte quadam, dum cæleſtium contemplationi diſtentus oraret, ecce ei imago quædam ſubtiliſſimi Doctoris Auguſtini apparet, ex cuius ore fluuius ſcaturiebat cryſtallinus, adeo lympidus ac clarus, vt vel millies ſolis ſplendorem longiſſimè ſuperaret, quo tota terra ita refulſit, vt huius lucis viſione, nihil amplius ſibi quærendum eſſe videretur. Quod autem ei apparebat, corpus non erat D. Auguſtini, ſed imago tantum, quam ex aere Angeli efformarant. Hinc conclude, quid illud ipſum corpus futurum ſit jam glorioſum. Multoties in S. pagina legimus hominibus Angelos apparuiſſe, in corporibus phantaſticis, ac tanta gloria circumfuſos, vt ipſi ſoli tenebras offunderent Vidit D. Ioannes Angelum de cœlo deſcendentem: *Et terra illuminata eſt à gloria eius.* Non erant corpora illa ſubſiſtentia, nec vera, ſed tantum veriſimilia, phantaſtica. Si illa igitur tanto ſplendore præfulſerint: quia Angeli ſe illis contegebant, quale, quæſo, corpus erit verum alicuius Sancti, qui illud realiter informabit, quando anima glorioſa illi vitam miniſtrabit? Extra controuerſiam eſt, quod vnicum tantum tale corpus poſitum in cœlo, clariorem ac multo præſtantiorem lucem infonderet terræ, quàm ipſe ſol meridianus.

*Apoc. 18. 1.*

II. Quales ſuntaque ſupra cœlos.

*Lib. 2. de Gen. ad litt. c. 5. Super Euſeb. p. 1. c. 8.*

Difficillima inter DD. Theologos quæſtio ventilatur, ſi illic ſupra cœlos, veræ ſint aquæ. Quod ſint, nemo dubitat, cum S. Scriptura hoc ſæpius manifeſtet; ſed in quæſtionem vertitur, an veræ ſint, ſicut noſtræ. Nulla enim videtur vrgere ratio, cur illic eſſent iſtæ aquæ. D. Aug. ait, ne dubitemus, ſed credamus, quod ſint, licet illud non capiamus: pluris enim faciendum id quod aſſerit Spiritus S. quàm illud quod noſtri diſcurſibus intellectus perſcrutamur. Huic ſententiæ ſuffragatur Abulenſ. & ait: Mirabilis fuit illa Diuina diſpoſitio, qua Deus creans mundum, aquas diuiſit, quaſdam hic in mundo, alias ſupra firmamentum collocans: vt Moyſes commemorat: *Diuiſit aquas quæ ſub firmamento ſunt, ab iis, quæ erant ſuper firmamentum.*

*Gen. 1. 10*

Opinatur enim Abulenſ. quòd Deus illas fuderit ſuper firmamentum, ſicut hîc ſuper ſpeculum cryſtallinum ponitur argentum viuum in diathyrum: vt ibi viſus noſter detineatur, & in illo repræſententur oculis noſtris, ea quæ ante illud ſunt, vt ſtellæ ac planetæ, quod ſi cryſtallo non ſuperponeretur obiectaculum illud obſcurum argenti viui nullam facerent reflexionem in noſtris oculis, ea quæ ſunt inter ſpeculum, ac viſum noſtrum, nec quidquam eorum videremus. Arbitratur autem Abulenſ. quod ille color cœruleus, quem credimus nos videre, cœlum intuentes, aere ſereno, procedat ex illo ſepimento aquarum; ſentit vero Deum in hoc longè aliud quiddam prætendere, nimirum impedimentum ſeu coopermentum interponere, ne ad nos deſcendat cœli empyrei claritas, cum locus ſit gloriæ Sanctorum deſtinatus: cœlum enim iſtud millies illuſtrius ſplendet ipſo ſole: & ſi tantilla pars quarti cœli, de qua Deus ſolem eduxit, ita illuminet terram hanc inferiorem, eiuſque lux ita aſcendat ad ſuperiora, tanta fulgoris efficacia, vt ſtellas peruadat, cum ita ſit, quod ab ipſo ad ipſas, decies millies maius ſit ſpatium quàm ab ipſo ad nos, quid non faceret tam immenſa quantitas qualis eſt illa cœli empyrei, cum ſit corpus adeo ſplendidum millies, & decies centies millies plus ipſo ſole? Particula iter autem obſtat, ne ad nos dimanet corporis Chriſti Domini noſtri claritas glorioſi, eiuſque ſanctiſſimæ matris Mariæ, quæ in illo deberet eſſe; Ex quibus tantus diffunditur lucis ſplendor; vt ſi ille cœlos penetrans, ad nos tranſpareret, ſufficeret, vt mundum illuminaret vniuerſum multo clarius, quam ipſa lux meridiana; ac proinde numquam noctis tenebris immergeremur, quo illa diſſolueretur harmonia, qua Deus tempora diuiſit in noctes & dies ad noſtrum bonum regimen ſeu ordinem conſeruandum. Veriſſimum autem eſt atque indubitatum, quòd tantus ſit vel erit ſplendor, nedum corporis Chriſti glorioſi eiusque puriſſimæ Matris Mariæ, ſed & beatorum minimi, ſeu gradus inferioris, quod ſi ſoli collateralis opponeretur, illum obfuſcaret, ac contenebraret, & extra omnem comparationem, maior foret lux quo mundus ex eo illuminaretur, quam ea qua per ſolem illuminaretur, etiam licet ſoles mille fulgerent. Dotis huius admiremur excellentiam. 37

Dote quoque ditabitur impaſſibilitatis quam his verbis declarat Apoſtolus: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.* Hæc à gloria animæ

*1. Cor. 15. 42.*

animæ dimanabit, quæ vitam corpori tribuet, Creauit Deus primæuos parentes noſtros, quos ſtatuit paradiſi incolas, tali dono præmunitos, vt nihil eos poſſet offendere, nocere nihil, lædere, occidere ac proinde immortales. Oriebatur hoc donum ex gratia & iuſtitia originali, qua eorum anima adornata irradiabat. Si gratia illa hoc potuerit, quid erit, aut quid poterit ipſa gloria, quæ eſt gratia perfecta, conſummata, & omnes in ſe g a ias compreh n lit? hoc indicauit Apoſtolus, *Gratia Dei, vita æterna.* Hæc

Rom. 6. 23 D. Augu. Epi. 65. ad Dioſcor. Tom. 2.

dos a D. Auguſt. vocatur: *Perpetua ſanitas, & incorruptionis vigor.* Qua dote, tam proſpera corpus gaudebit valetudine, vt nullus ſit futurus dolor, nullus timor, pœna nulla, nec febres, cephaleæ, nec oculorum lippitudo, nec in ore ſaliuarum, excrementa, nec in auribus obſtructiones nec in auribus obſtructiones, nec quidquam aliud quod ei poſſet adferre nocumentum. Quocirca licet beati corpus deiicerent, mille pugionibus confoderent, mille in illud tormenta bellica explodcrent, imo totis viribus glandes ferreas in pectus eius immitterent, addo, ſi ipſum gehennæ incendio t aderent comburendum, nec in minimo ei nocerent, ſed nec nocere poſſent.

Dan. 3. 50

Si leuis ros a Deo mediante Angelo miſſus Hebræis in fornace Babylonica flammarum incendia temperauit, illæſoſque illos ſeruauit atque ita integros, vt ne vel minimus capitis eorum capillus poſſet a voracibus illis ignibus corrumpi, miniſtris licet fornacem malleolis, naptha, pice, reſina ſuccendentibus, vt flamma ad quadraginta nouem cubitos ſurſum efferretur, quanto erit efficacior perfectus ille ros gloriæ animæ, corpori ſuperfuſus? Eo plane modo, quo puriſſimus ſolis radius, nec gladio tranſuerberari, nec aquis de mergi, nec igne conſumi, nec in fici ſterquilinis, nec tormentis æneis poteſt violari; ita corpus glorioſum incorruptionis vigore ac perpetua ſanitate confortatum nullum patietur repugnans, quod ei poſſit nocere, ferire, conſpurcare.

Tertia quoque dote honorabitur ſubtilitatis, eaque tanta, vt hos poſſit penetrare parietes, etiam æneos, quinimo & ipſos cœlos nulla facta læſione. Hanc indicat D. Paul. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Ne ſic intellexeris, quod corpus illud tranſmutabitur in ſpiritum, vel aerem, vt quidam, ſed peruerſe hoc intellexerunt, quos impugnat D. Auguſtinus. *a* Et definit D. Gregor. *b.* hanc Eutychio perſuadens veritatem, quia verum permanebit corpus ex carne & oſſibus: Sed prout iidem Doctores exponunt in hoc erit corpus illud ſpiritui ſimile, id eſt animæ, & Angelo, quod ſicut ſpiritus quodlibet penetrat ſine læſura, ſciſſura, aut apertura, ita quoque noſtrum ſit corpus futurum ſpirituale.

1. Cor. 15. 44. a Lib. 12. de Ciui. c. 23. b Lib. 14. Mor. c. 31.

Quarta denique dote dotabitur agilitatis, quam ſic inſinuat Apoſtolus: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Erit autem hæc qualitas tantæ leuitatis, vt nedum anima corporis ſui non ſentiat pondus, ſed ipſum ſumma voluptate commouebit, nullam ex hoc ſentiens grauitatem. ſicut enim anima (teſte D. Auguſt. hoc enucleante) totaliter diuinæ erit ſubiecta voluntati, ita & corpus animæ ſubiicietur, proinde in ictu oculi mouebit ſe ex cœlorum altiſſimis ad terræ centrum; [hinc Romam, ea qua tu cogitationes tuas transfers agilitate.] Audiamus de hac dote admirabundum D. Auguſtin. *Qui motus illic talium corporum ſint futuri temere definire non audeo, quod excogitare non valeo.* Vnde Vates ait Iſaias; *Current & non laborabunt.* & Salomon (ut expendit D. Auguſtin.) *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*

1. Cor. 15. 44. Lib. 16. de Ciui. c. 27. Lib. 19. de Ciui. c. 22. Tom. 3. Iſa. 40. 21. D. Augu. Lib. 3. ſup. Gen. To. 5. Sap. 5. 7.

## §. 19. *Præcipitabitur mors in infernum, occiendo nec occidens.*

HInc ſequetur, quod addit Propheta, hoc loco, prout cœpimus explanare: *Et præcipitabit mortem in ſempiternum.* 38

Hæc verba citat D. Paul. (vt notant D. Hieronym. & D. Thom.) *Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria.* Quando Sancti integra potientur victoria, mors tum abſorbebitur, & magnitudine atque immenſitate maris gloriæ ſubmergetur. Pulcherrimus loquendi modus, *Præcipitabit mortem.* Patriæ proditores, facinoroſos, homicidas in quibuſdam regionibus ex altiſſimis locis in præceps diruunt. Hoc mortis genere vitam ademit Sanctus Rex Pelagius duobus Archiepiſcopis apoſtatis, Tortiſo & Dorpæl, qui dum Hiſpania vaſtaretur, ad Mauros tranſierant, quando ex parte Regis Mauritaniæ, legatione apud præfatum Regem fungebantur. Hac quoque morte Nazareni Chriſtum interimere cogitabant, contra omnem etiam rationem, quando *Duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis* &c. *vt præcipitarent eum.* Mortem igitur facinoroſam, tot vitarum deſtructricem etiam eius; qui ſemper viuere merebatur nempe Chriſti, puniet Deus, de excelſo illam gloriæ monte præcipitabit ad imum inferni, vbi ſedes eius in æternum remanebit, ſicut & vitæ erit in cœleſtibus. Infernus

Iſa. 25. 8. 1. Cor. 15. 54. Luc. 4. 29.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

fernus locus eſt mortis: eo quod ex peccato dimanet, & ſicut peccatum in cordibus malorum in inferno ſemper manebit obduratum ibi quoque & ipſa mors habitabit. Ob hanc rationem vocat Dauid infernum puteum mortis: *Deduces eos in puteum interitus.* Illuc enim mors præcipitabitur concluſa, ſe illorum tantum qui illic fuerint nutriens alimento: *Mors depaſcet eos.* Illos mors depaſcet, nec tamen conſumet quemadmodum animalia herbas decerpunt, nec tamen conſumunt: ſemper enim viua remanet radix, quæ germinat, & iterum ac iterum illas depaſcuntur, ita quoque mors damnatos depaſcet: *Pabulum mortis*, vocat D. Agnes iuuenem ſcortatorem, vt refert D. Ambroſ. Semper illos decerpet, & numquam conſumet; quia ſemper, & in omnia ſæculorum ſæcula morientur; hoc aſſerit D. Bern. a *Sic morientur, vt ſemper viuant ſic viuent, vt ſemper moriantur.*

Pſ. 54. 24.

D. Amb. Ser. 90. de Paſſione B. Agneeis. Tom. 5.

a Li. Medi. c. 4. ad finem.

Expoſuit hanc doctrinam amicus quidam Iob verbis aptiſſimis, quæ D. Gregor. explanat. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur.* Quidquid mali patrauerit peccator, luet in particulari; cuilibet etenim peccato ſua pœna correſpondebit. *Luet omnia.* Etiam ipſis venialibus. Obiicies, ſi eius delicta mortis pœnam mereantur, morte plectatur, qua omnia conſumentur. Reſpondeo, verum quid-m eſt, quod morte peccator punietur, ſed hoc eo modo, vt eum non conſumat. *Nec tamen conſumetur.* Semper morietur. Loquatur modo D. Gregor. *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: quia cruciatur, & non extinguitur, moritur & viuit, & deficit & ſubſiſtit, finitur ſemper, & ſine fine eſt.* Hæc quoque ſubiungit. *Hæc ſolo auditu valde ſunt terribilia, quanto magis paſſione.* In cœlo vero vita erit æterna, in ſempiternum. Hoc Angelus D. dixit Ioanni: *Mors vltra non erit.* Hanc tibi promittit Chriſtus in illo regno beatitudinis. *Hæc eſt repromiſſio, quam pollicitus eſt nobis, vita æterna.* Præ cæteris omnibus plurimum æſtimatur vita, cui nec aurum, nec argentum, nec voluptates vllo modo comparantur; imo vili eius reſpectu penduntur. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Hanc tibi Chriſtus pollicetur, nec terrenam, caducam, mortalem, breui perituram, quam tibi parentes tribuerunt; ſed *vitam æternam*, glorioſam, immortalem, æterniſque redundantem conſolationibus. Pereleganter de hac diſcurrit D. Aug. *Vtique, fratres pro æterna requie labor æternus ſubeundus erat æternam felicitatem accepturus, æternas paſſiones ſuſtinere debes.* Hac occaſione comparat, quid ſint mille anni, reſpectu æternitatis. Minus ſunt mille anni reſpectu æternitatis, quam di-s qui præterit. Hoc idem dico inquit, de decem millibus, cum nullam habeat proportionem temporale cum æterno, quantumlibet duret. Dei igitur attende miſericordiam, qui tibi vitam promittit, non talem qualem, ſed æternam ſine fine duraturam, pro tam paruo labore temporali, qui breui durat tempore, paucorum dierum, paucarum horarum. Conſiderat D. Auguſt. quantum hic homo ſumat tota vita ſua laborem, vt paucis diebus lætus quieſcat ſenectutis. *Veterani homines, qui laborant in militia, & verſantur inter vulnera incipiunt militare a iuuentute, exeunt ſenes, vt habeant paucos dies quietos ſenectutis ſuæ, quando eos iam ipſa ætas incipit grauare, quos bella non grauant, quanta dura tolerant? quæ frigora? quæ itinera quos ſoles? quantas neceſſitates? quæ vulnera? quæ pericula? & non attendunt patientes hæc omnia, niſi paucos dies quietos illos ſenectutis, ad quos vtrum perueniant, neſciunt.* Attende tibi, quid tibi ob paucos dies laboris offeratur. *Hæc eſt repromiſſio, vita æterna.* O ſi quis hæc noſſet æſtimare, ſicut ea conſiderauit D. hic Auguſtinus.

D. Greg. Li. 15. Mor. c. 9.

Apoc. 21. 4. 1. Ioan. 2. 25.

Iob. 2. 4.

D. Augu. In pſ. 36. Con. 2. in illud A Domino greſſus hominis. Tom. 8.

Iob. 20. 18.

D. Auguſt Tom. 8.

§. 20. Bonum eſt. *Quia illam gloriam non meditaris, illam non deſideras, illam recogita, vt Iacob patriam ſuam.*

Vidit D. Petrus hanc gloriæ ſpeciem, & nihil ſibi cenſet amplius in hac vita deſiderandum aut eſſe aliquid in hoc mundo quod illi compoſitum, dici poſſit bonum, hic quoque totum concludi bonum, quod cor poſſit humanum appetere, & quaſi ſui impotens: *Quaſi ebrius* (inquit D. Auguſt.) gaudio ſuſpenſus exclamat, *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* O Sancte Petre, hoc ſolo tibi credis ſatisfactum? Num eius aliquid poſſides quod vides? Num facies tua vt ſol reſplendet? Num corpus tuum illa refulget claritate? Num intra te horum donorum aliquid recepiſti? Solummodo illa vides deforis in Chriſto, & ſi quid communicatur, Moyſi ac Eliæ conceditur, qui videntur cum illo in maieſtate, & de corporis Chriſti claritate tantam conceperunt lucem, vt cryſtallina ſpecula eſſe viderentur. Tuum vero corpus hic in terra eſt graue, ac onéroſum, nihil tibi plus conceditur, quam in aliis hanc contemplari pulchritudinem maieſtatis. Hic videbis qualis ſit illa gloria; Si in aliis illa intuita, ita placet, vt cor impleat, quid erit illum in ſe poſſidere, illa gaudere. Quam illa

In ſolilog. c. 22.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illa forèt menſa lautiſſima, opiparo apparatu inſtructiſſima, vt ex eo quod conuiuas ſolummodo cerneres epulantes, ciborumque odorem perciperes ipſe tu ſatiareris; nec quid vltra requireres? Quid illa operabitur in te gloria, quando eam poſſidebis, ac intra te concludes beatus, ſi eam tantummodo in aliis contemplatus, nihil vltra cenſes expetendum? Vtinam oculos ad illam erigeres celſitudinem! Ob illam tãtas tibi Deus hic permittit tribulationes.

I. Quærit Rupertus, cur tantis Deus populum
Cur filij Iſrael in Ægypto tot paſſi ſunt tribulationes.
» ſuum in Ægypto permiſerit laboribus agitari:
» quid à Deo magis alienum? a *Conuertit cor eo-*
» *rum, vt odirent populum eius*: Nec hoc intelligen-
» dum *Poſitiue*, ſed *permiſſiuè*, ſic vt omnes eos
» naſo ſuſpenderent. b *Ad amaritudinem ducebant*
» *vitam eorum operibus duris*. Quanto labore con-
» ſtitit laterculus ab Iſraelitis efformatus, & qui-
» dem à Pharaône male acceptus: illos enim du-
» riùs affligebat. Ne obſtupeſcas, hoc ita Deus or-
» dinauerat, tantùm vt creſcerent; & radices e-
» mitterent, ſicut palmites, in aqua, quos Hiſpani
» vocant, (a) Terra Ægypti fœcundiſſima eſt, vt
» inquit Ariſtoteles communiter enim duos, ali-
» quoties tres, quinimò & quatuor profert fœtus.
» Meminit mulieris quæ quaterno fœtu filios
» enixa eſt viginti, qui penè omnes ſuperuixerũt.
» Hac igitur de cauſa illos Deus in terra hac ad-
» eo fertili collocauit. At illi immoderaris affe-
» ctibus terræ huic adhærebant. Illos in Ægypto
» aduenas ſtatuit, vt ſe terræ promiſſionis itineri
» accingerent, illi verò cœpè, aliis & vilioribus
» cibis afficiebantur. Iam eis terræ promiſſionis
» exciderat memoria. Hinc Deus voluit, vt ſer-
» uitute premerentur, quatenus eos deſiderium
» accenderet, terræ promiſſionis, atque ad illam
» obtinendam continuò ſuſpirarent. O quam
» graues calamitates, quàm intolerabilis ſeruitus
» Pharaônis! *Conuertit cor eorum, vt odirent po-*
» *pulum eius*. In quem finem arbitraris ô Chri-
» ſtiane, Deus te ſinit tribulationibus agitari,
» morbis lecto detineri, falſis teſtibus infamari,
» cæteris denique hoc in mundo laboribus con-
» cuti? Ne terræ huic nimio amore inhæreas,
» ſed mentis oculos ſurſum erigas ad terram illam
» gloriæ promiſſionis. Eia igitur, chariſſime, ocu-
» los tuos aliquoties attolle, & illam meditare,
» mentem tuam ſurſum erige, & ſtatum illum
» omnium bonorum aggregatione perfectiſſi-
» mum, quæ ſint illa bona tam magnifica, perpe-
» tua, numquam peritura, contemplare.

a *Pſal. 104.25*
b *Exo. 1.14.*
(a) *Sarmiẽtos barbados. Vide ho. 17. §.4.n. 10. in princ. Lib. 7. hiſ. animal. c. 4.*

Gloriam illam non contemplamur, nec ad ſummum illud attendimus bonum, quod in illa nobis proponitur obtinendum; quocirca parum nos mouemus, nos cordis modica inſtigat ſolicitudo. Circa hoc orationem habet D. Bernardus quâ conatur perſuadere gloriæ Sanctorum conſiderationem. *Vulgo dicitur, quod non videt oculus, cor non dolet*. Negligentes ſumus ac ſocordes, vt illum gloriam aſſequamur: *Quod enim oculus non videt, cor non dolet*. Eo quod mentis veſtræ oculi gloriæ bonorumque cœleſtium non cernũt præſtantiã, idcircò tam eſtis deſides, & eiuſdem gloriæ non curioſi. Stupet D. Cypr. videre in nobis res tam ſibi oppoſitas. Audio (inquit) te quotidie à Deo poſtulantem, hanc tibi faciat gratiam. *Adueniat regnũ tuum*. Moram facere tibi videtur, vnde ſemper eandem repetis inſtanter orationem. Ex alio capite (inquit) aduerto, nihil eſſe quod minus expetas, quàm hinc demigrare, vt eo tendas; hic veſtra ſunt deſideria, hic cogitationes, nec tibi poſſunt nuntia adferri triſtiora, quàm ſi quis dixerit, morbum tuum inuoluere mortis periculum, dum lecto æger decumbis; ille tibi cor euellit, qui apud te de diſceſſu animæ ex hoc mortali corpore facit mentionem: *Volumus præmiis cœleſtibus honorari, ad quæ venimus inuiti. Quid ergo oramus. Adueniat regnum tuum, ſi captiuitas terrena delectat?* Porro modo mihi cauſa innotuit (reſpondet) quam eam eſſe iudico; quòd agas de illa gloria ac cœleſti regno, ſolum ore tenus, non corde, non animo appetis, nec vel mentem ſurſum erigis vt regni illius diuitias, excellentiam, gloriamque attenta conſideratione mediteris. Eo quod mercatori vel lene tantummodo lucrum tranſpareat, quæ non laborioſa ſuſcipit itinera, quas non facit expenſas? miles autem ex victoriæ prædæque intuitu, quibus ſe, vitæ ſuæ non ſegnis ac indefeſſus ſubiicit periculis? Proponitur agricolæ præſentis anni meſſis fœcunda, & quibus parcit laboribus, cum terræ aſperitate colluctatus, quibus expenſis, libera manu ſemen eiiciens, quod in ſuorum ſeruabat alimentum? quem tu non moueres lapidem, quam non fores diligens ſi regna hæc, hoc lucrum, illam victoriam maturè conſiderares? Concluditur aviario paſſerculus, cui de cibo & potu abundè prouidetur, vt nihil illi deſit eorum quæ maximè concupiſceret, eiuſque ſollicitam curam gerit Dominus ſuus: nihilominus dum arborum plantaria, virideſque ſyluas intuetur, alioſq; paſſeres quolibet per aëra volitãtes, nec momento quidem temporis quieſcit, ſed continuò de vna ad aliam virgulam proſiliens, tentat

D. Bern. *Serm. 5. de omnibus Sanctis.*
D. Cyp. *Li. de mortalit.*
*Matt. 6.10*
D. Cyp.

num vnam valeat auteuellere aut diffringere, vt ſe carcere hoc liberet concluſum. Et tu o anima, quæ hac corporis tui cuſtodia conſtringeris, millenis obruta defectibus, omnium indiga, ita viuis quieta, nec alas excutis nec optas liberari? An non attendis æternas illas ſyluas, germinantes arbores, vbi liberrimi viuunt, gaudent, exultant, paſſerum illi greges beatorum, iam reſtituti. *In libertatem gloriæ filiorum Dei*? Et hoc
Rom 8, 21
non tantum dolemus in peccatoribus, qui terrena ſapiunt, ſed & in multis piis, qui bonis vitæ actiuæ ſtudent operibus, qui licet gnauiter Deo ſeruiant, vt hinc emigrent, non feſtinant: & hæc eſt ratio; quia iugi rerum cœleſtium, illius regni, ſtatus diuini, & æterni, quo Deo vniti Sancti gaudent, meditatione non exercent animam.

Hoc ſingulari cura notat Spiritus S. in hiſto-
40 tia Iacob, & monet D. Chryſoſt. vt nos quoque illud annotemus. *Neque enim abſque cauſa S. Spiritus gratia ſcriptas nobis reliquit haſce hiſtorias*
D. CHR. Hom. 157. in Gen. Tom. 1.
In regione morabatur Meſopotamiæ matrimonio iunctus duabus illis ſororibus Liæ & Racheli, aliiſque ſecundariis vxoribus, ex omnibus ſuſceperat liberos, excepta Rachele. His in regione illa contentus viuebat, nec de ea vel ſomniabat egredi: ſatis licet multis calamitatibus infeſtatus, & tædioſus, ob graues moleſtias, & ſummam ingratitudinem quibus eum Laban, filii eius, fratres, ac patrueles agitabant. Sibi gratulabatur, ex multis diuitiis, gregibus, armentis, filiis, famulis, ancillis quibus illi Deus in terra illa benedixerat liberalis. Ad finem dierum, ſpeciali Dei fauore filium ex pulchra genuerat vxore Rachele nimirum Ioſeph. Ilico, memorat Spiritus S. meditatur Iacob egreſſum de hoc exilio, flagrauſque mentem eius accendit deſiderium natiuitatis ſolum repetendi, idque tanto ardore, vt nulla interpoſita mora conceptum voluerit iter arripere, proinde dixit ſocero ſuo. *Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam*. Publicè notum eſt (inquit D. Greg.)
Gen. 30. 25.
quod binæ illæ mulieres Lia & Rachel ſignificent vitam actiuam & contemplatiuam. Lia fœcunda erat, at lippis oculis deformis. Rachel ſterilis, at oculis vt ſydera nitentibus gratiſſima. Actiua vita fœtu gaudet & plurima prole, operibus pietatis, fertilis jejuniis, diſciplinis, eleemoſynis, hoſpitalium viſitationibus &c. at illis contemplationis detinetur oculus obfuſcatus. Vita contemplatiua, lynceis ſpeculatur luminibus, vſque ad cœlorum intima, diuinaque myſteria; His, vt Maria Magdalena quieta ſecuraque ſedet; Martha, interim pluribus rebus intenta perturbatur. Multus eſt numerus eorum qui vitam amplectuntur actiuam, viuunt genuina præclari bonitate, legis Diuinæ obſeruatores, juſtitiæ Zeloſi, liberales eleemoſynis; at vero hoc in Meſopotamiæ mundo ſegnes reſident, & ne quidem in votis habent, vt hinc egrediantur. Ille verò qui vitæ contemplatiuæ veſtigia ſectatur, & mentis oculos ſurſum ad æternas illas dirigit manſiones, actibus contemplationis diſtentus huius Rachelis pulcherrimæ filiis, quo tempore illos in lucem producit licebit aduertere, quod cogitent, expetant, anhelent vt hinc quantocyus diſcedant, ad terram noſtram, & patriæ ſolum deſideratiſſimum
L. 6. mor. c. 28 & Hom. 14. in Ezech.

Ex eorum ſunt illi numero, ait D. Auguſtin. 1. Tim. 4. 8.
de quibus Apoſtolus: *Diligunt aduentum eius* adeoque in illis æſtuat hoc deſiderium, vt patientiæ actibus indigeant, quatenus in hac vita maneant incolæ ac peregrini. Hæc juſtorum eſt Ro. 8. 25.
patientia, de qua D. Paul: *Per patientiam expectamus*, & iterum: *Dominus dirigat corda & corpora* 2. Th. 3. 5.
*noſtra, in charitate Dei & patientia Chriſti*. Det nobis patientiam, qua longanimes exſpectemus id quod ita anheli deſideramus, nempe Chriſti frui præſentia, Sanctorum lætari conſortio, feruens deſiderium: *Deſiderium habens diſſolui & eſſe* Phil. 3. 5.
*cum Chriſto*. Vt autem quis detineatur, ne eo tendat, quo illum trahit æſtuans deſiderium, multa opus eſt patientia, quali Iacob indigebat, ad diem anhelans nuptialem cum ſibi chariſſima Rachele: *Hoc ardebat deſiderio ille* (teſte D. Aug.) D. AVG. Epiſt. 80. ad Heſich. Tom 2.
*qui dicebat: ſitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei. Dicendo enim quando veniam moras ſe perpeti moleſte ferebat, quia etiam quod tempore acceleratur, deſiderio tardum videtur.*

Humana quondam deſpiciens Dauid contemplationi ſtatus illius glorioſi totus incumbit, in admirationem extaticam rapitur, tanto plenus gaudio interiori, vt ore eius verba hæc ebullirent. *Quam dilecta tabernacula tua Domine* Pſ. 83. 2.
*virtutum!* Si perfidus ille vates Balaam tabernacula, populique Dei manſiones in deſerto conſpicatus, quaſi nihil eſſet, quo magis poſſet recreari lætus exclamarit: *Quàm pulchra ta-* Num. cap. 24. 5.
*bernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael.* Si regina Auſtri *Videns domum quam ædificauerat Sa-* 3 Reg. 10. 5.
*lomon, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum & ordines miniſtrantiũ veſteſq; eorum & pincernas &c. non habuerit vltra ſpiritum, dixeritq; ad Regẽ Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea &c. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper*

*te ſemper.* Quid erit videre Dei tabernacula, Dei
cernere palatia, locum gloriæ ac æternæ maie-
ſtatis intueri, locum illum, de quo propheta E-
uangelicus. *Ibi ſolummodo magnificus eſt Domi-*
Iſa.c.33. 21. *nus noſter.* Hæ et Dauid obſtupeſactus nec cui
illud compareт, inueniens, ſolo modo iſto agen
di contentus, & abſorptus exclamat: *Quam*
*dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Ta-
bernacula tua, virtutis tuæ, maieſtatis, gloriæ
Pſ.83.1. Dominii ac celſitudinis? *Concupiſcit & deficit*
*anima mea in atria Domini:* ac pia quadam æ-
mulatione congruentius multo quam ipſa regi-
na Saba: *Beati,* inquit, *qui habitant in domo tua*
*Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Huius
ſerui, Dei deſiderio languebant, animis deficie-
bant, & perpetuis ſyntectici ſuſpiriis emorieban-
tur, multo fortius quam olim Amnon formæ
elegantia ac deſiderio ſororis Thamar tabeſce-
bat, quem cum Ionadab rogaret; *Quare ſic at-*
2.Re.13.4 *tenuaris macie, fili regis per ſingulos dies?* Reſpon-
dit: *Thamar ſororem fratris mei Abſalon amo.*

Has ſuſpirans voces ſponſa emittebat, *Fulcite*
Cant.2.5. *me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.*
Ita refert D. Antoninus Archiepiſcopus Floren-
tinus de S. Patriarcha noſtro Dominico, quod
perpetuo ſuſpirabat, ac tanto quibuſdam no-
bus affectu ſurſum agebatur, vt ſibi animam cor
pore euelli arbitraretur. Idem humilliſimo D.
Franciſco contingebat. Dilectiſſimæ Dei ſpon-
ſæ D. Thereſiæ, hoc quod ipſa narrat, euenie-
bat. Dum fundationi monaſterii Salamanticen-
ſis inſiſteret, alius ipſa præſente die ſolemni
Paſchatis hos verſus Hiſpanicos concinebat.

*Vean te mis ojos.*
*Dulce Ieſu bueno,*
*Vean te mis ojos.*
*Muerame yo luego.*

Videant te oculi mei, mi dulcis & bone Ieſu,
videant te oculi mei, & moriar ilico: quo tan-
tum in anima eius excitabatur deſiderium vi-
dendi Deum, vt omnis ſenſus expers conciderit
ac eam ſublatam quaſi mortuam ad cubiculum
detulerint, quinimo ipſo ſequenti die quaſi extra
ſe rapta videbatur; quo æſtuans deſiderio in ma-
ximos erumpebat clamores a quibus ſibi tempe-
rare minime poterat, affectuque intenſiſſimo,
quo corpus ita viribus elanguebat, vt vix pedi-
bus ſemianimis ſubſiſteret, omnia eius vota, de-
ſideria, affectus in cælum tendebant. Prodigio-
ſi illius ſancti Ægidii S. Franciſci comitis me-
minit hiſtoria, quod peractis multis annorum
curriculis in ſumma vitæ auſteritate, ieiuniis,
carnis mortificatione, Chriſtus illi apparuit, &
mentis eius oculos illuſtrauit, vt vel imaginem
quandam cœleſtis gloriæ contemplaretur. Quo
ſpectaculo ita ſupra ſe rapiebatur, tanto omni-
um, quæ mundus colit, contemptu, vt nihil ho-
rum videre poſſet, niſi ſumma cum nauſea tæ-
dioſus, nec quemquam videre, nec cuiquam vo-
lebat colloqui, & audito minimo verbo de cœ-
leſti regno, ſupra humanum ſenſum rapiebatur
extaticus, ita vt pueruli ut eum viderent ſenſi-
bus deſtitutum, præeuntes clamarent. *Frater Æ-*
*gidi: paradiſus:* quo audito ilico raptus corrue-
bat. At multo eminentiori modo hæc D. Paulo
contingebant, tantoque maiori ratione, quia
viderat & audierat raptus in tertium cœlum ar-
cana verba, quæ non licet homini loqui, quæ Phil.3.20
ſemper attenta mente reuoluebat, vnde veridi- 2.Cor.3.
cus aiebat: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt* & iterum
*Nos reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes.* Di-
cito mihi, amabo, Sancte Apoſtole, quem hæc
in anima tua effectum eſt operata conſideratio?
Æſtuans hinc emigrandi deſiderium, & æterna Phil.1.23
perfruendi cum Chriſto gloria: *Cupio diſſolui,*
*& eſſe cum Chriſto.* Hanc nobis quoque praxim
inculcat; *Non contemplantibus nobis quæ videntur* 2.Co.4.18
*ſed quæ non videntur.* Illuc oculos dirigite, illam
perpendite gloriam, quæ ſit hæc promiſſionis
terra, quale regnum, illud vobis paratum ab
origine mundi: quis ille locus, vbi veſtros la-
bores Deus præmiabit, veſtra glorificabit meri-
ta, finem pœnis imponet, abſterget lachrimas,
ac in vobis gratiæ vitam, æterna illa gloriæ
dote conſummabit. Amen.

FINIS TOMI PRIMI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN